

5025

~~468~~

8-C2

INSCRIPTIO MILESIACA
DE PACE CUM MAGNETIBUS FACTA.

• P r o g r a m m

des

K. Humanistischen Gymnasiums

in

Augsburg

für das Schuljahr 1913/14

von

Dr. Friedrich Mezger

K. Gymnasiallehrer.

München 1914

Druck von C. H. Beck

Bibliothèque Maison de l'Orient



154001

58716. Institut Courby


5025

Viro doctissimo,
magistro meo,

Dr. A. Rehm,

professori ordinario Universitatis
Ludovico-Maximilianeae Monacensis

hunc libellum dedicatum esse velim.



	P
Cap. I: Praefatio	1
Cap. II: De scripturae ratione et de rebus orthographicis	6
Cap. III: Singulorum locorum explicatio	10
Cap. IV: De Milesiorum et Magnetum rebus et de bello inter eos orto	31
Cap. V: De tituli aetate accuratius definienda	39
Cap. VI: De rebus quibusdam illius aetatis propriis	45
Cap. VII: De titulis nonnullis eidem fere aetati tribuendis	49
Addenda	51

Compendia:

- BCH = Bulletin de Correspondance Hellénique.
Beloch = J. Beloch, Griechische Geschichte.
Dial.-Inscr. = Sammlung der griechischen Dialekt-Inschriften, herausgegeben von Collitz-Bechtel.
Gelder = van Gelder, Geschichte der alten Rhodier.
Hauss. = Haussoullier, Études sur l'histoire de Milet et du Didymeion.
J.-Magn. = O. Kern, Die Inschriften von Magnesia am Mäander.
J.-O. = W. Dittenberger, Orientis Graeci inscriptiones, 2 voll.
J.-Prien. = Inschriften von Priene, herausgegeben von Hiller v. Gärtringen.
Michel = Chr. Michel, Recueil d'inscriptions grecques.
Milet I = Milet, Ergebnisse der Ausgrabungen und Untersuchungen seit dem Jahre 1899, herausgegeben von Th. Wiegand, Heft I: Karte der Milesischen Halbinsel (1 : 50 000), mit erläuterndem Text von P. Wilski.
Milet II = Milet etc., Heft II: Das Rathaus von Milet von Hubert Knackfuß, mit Beiträgen von Carl Fredrich, Theodor Wiegand, Hermann Winnefeld.
Milet III = Milet ect., Heft III: Das Delphinion von Milet.
Niese = B. Niese, Geschichte der griechischen und makedonischen Staaten.
SJG² = W. Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graecarum. Editio altera. 3 voll.

Cap. I.

Praefatio.

Inter excavationes Mileti a museis regiis Berolinensibus ab anno 1899 susceptas in Delphinio inventa sunt quattuor fragmenta lapidea, quibus continetur foedus a Milesiis et Magnetibus ictum, maximum anno 1903 immissum pavimento Delphini, cetera anno 1904 ante porticum ad meridiem spectantem dispersa. Singulas partes componendas esse cognovit A. Rehm.

Cippus marmore caeruleo confectus est. Fragmenta singula significo his litteris:

Inv. n. 682 = a

Inv. n. 682^b = b

Inv. n. 664 (fragmentum maximum) = c

Inv. n. 681 = d.

Fragmenti a pars marginis superioris sinistri, fragmenti d margo inferior servatus est. Fragmentorum forma, magnitudo, ordo, versuum numerus tabula infra addita demonstratur; fragmenta crassa sunt: c. 0,16 m.

Litterae altae sunt:

in v. 1: 0,017 m,

in partibus superioribus: 0,011 m,

in inferioribus: 0,007 m.

Lineae distant inter se:

lineae 1 et 2: 0,019 m,

ceterae: 0,005—0,007 m.

Fragmenta a et b et c valde detrita sunt, fragmenti c imprimis pars inferior lapidibus calcariis adeo contexta erat, ut purgari deberet a Frèrio; cuius fragmenti margines mirum in modum detriti sunt, litterae cum ceterae tum inferiores aqua

corruptae esse videntur (pars inferior difficillima est lectu!). Fragmenti d litterae perbene leguntur. — Nunc omnes partes servantur in museo Berolinensi.

Hiller v. G., iis quae de illa inscriptione ab A. Rehmio cognoverat, usus est ad testimonia editionis suae inscriptionum Priensium componenda (J.-Prien. test. n. 519, cf. etiam pp. XVI sq.). Nuper publicata est inscriptio ab A. Rehmio in: *Milet, Ergebnisse der Ausgrabungen und Untersuchungen seit dem Jahre 1899*, herausgegeben von Th. Wiegand, Heft III n. 148.¹⁾

Quem titulum A. Rehm, magister meus, summa benignitate mihi tradidit accuratius explicandum.

Usus sum:

1. e typis chartaceis omnium fragmentorum,
2. fragmenti a apographo Wiegandiano, fragmentorum a. b. c apographo Rehmiano, fragmenti d apographo Ziebarthiano.

[. . .] uncinis quadratis significatur, quidquid olim in lapide scriptum perisse censeo.

(. . .) uncinis rotundis significatur litteras inclusas non fuisse in lapide, sed contextus verborum recte restituendi causa supplendas esse.

. . . . punctis infra litteras tituli ipsius positis significatur harum litterarum nihil perspicuum esse nisi partem aliquam, tamen eas facile plerumque posse suppleri.

Ea supplementa, ad quae nihil adnotavi, sunt Rehmii (R), inde a v. 81 usque ad v. 94 maximam partem supplevit Ziebarth, qui primus descripsit fragmentum d.

Dissertationi adiunctus est tituli nostri verborum contextus. Sequitur hoc loco versio Latina:

„Pacta Milesiorum et Magnetum.

Quod felix faustumque sit: His condicionibus reconciliati sunt Magnetes et Milesii reconciliantibus eis, qui aderant, legatis

¹⁾ Quem librum inspicere potui perfectum et singula in notis vel in „addendis“ (infra pp. 51 sqq.) respexi.

et restituentibus pristinam amicitiam: ex civitatibus: Rhodiorum (5) Philostrato, A — filio; —, Sosicratis filio a Batone adoptato; Nicostrato, Tisyli filio; Atheniensium Alexione, Speusippi filio, Azenieo; Theocle, Dexitheo filio, Phylasio; Theopompo, Democlis filio, ex Coloneis; Cnidiorum Ptolemaeo, Cher — — filio; Arcestrato, Archidami filio, [My]ndiorum — —, — — is filio; Hegemone, . . . archi filio (10); Samiorum Theomnesto, Alexi filio [deest unius legati nomen]; Stesagora, Thesali filio; Halicarnassensium [deest unius legati nomen]; Theomnesto, Hieroclis filio; Pausania, — — filio; [deest maxima ethnici pars]; Dionysicle, Olympichi filio, [deest unius legati nomen et ethnici sequentis pars], Apollonio, Nysii filio; Jasone, — — filio [ethnicum?] (15), [A]ssaldomo, Irenaei filio; Teiorum [deest unius legati nomen], Antipatro, Nymphodori filio; Cyzicenorum — — —, Anticratis filio; Achaeo, Synnومي filio [deest unius legati nomen aut vacat], et ex foedere Achaeorum Da[moxeno, — — — filio], Megalopoli Phrasiarida, — — — filio; [Antigon]ea (20) Diocle, Agesilochi filio; Pat[ris] — — —, Seleuci filio; Aristide, — — — filio, et legatis ad paciscendum missis a Magnetibus: — — —, Dioscuridis filio; Epicrate, Di[oclis filio; Pythodoto], Charisii filio; Pythocle, Heges[ippi filio; D]emetrio, Eumedis filio (25), a Milesiis: Theog[ene], Leodamantis filio; Alexandro, [Demetrii filio, Dam]asia, Glaucippi filio; Antigono, [Hecataei] filio; Artemidoro, Herodoti filio:

esset in perpetuum pax amicitiaque Magnetibus et Milesiis; Peraeae autem regionis, de qua certavissent Magnetes et Milesii, terminus (30) eis esset Hybandus flumen et ab hoc flumine pars superior tota esset Magnetum, inferior tota usque ad mare esset Milesiorum; figerent autem saxa utrique et constituerent in eis columnas secundum alveum fluminis in suis partibus, quemadmodum inspexissent (35) loca profecti eo legati ad paciscendum missi, et terminus eis esset in perpetuum et is, qui tum exstaret, Hybandi fluminis alveus et saxa secundum alveum posita et columnae in eis constitutae;

ut autem integra essent pacta et duraret pax amicitiaque in perpetuum inter duas (40) civitates, liceret neve Magnetibus Milesiorum terram sive Peraeam sive ullam aliam vel castellum neve Milesiis Magnetum terram sive Peraeam sive ullam aliam vel castellum ab ullo accipere neve ipsorum neve aliorum opera sive possessione sive donatione sive dedicatione sive consecratione sive ullo alio modo vel per ullam causam; aut irrita esset (45) donatio vel dedicatio vel consecratio vel possessio facta vel, si qua incidisset causa vel ratio quaelibet aut ipsorum aut aliorum opera;

eos autem, quibus essent syla aut contra Magnetes aut contra Milesios, neutra civitas adiuveret neve reciperet praedae interceptae quidquam ullo modo vel per ullam causam (50); si quae autem eorum, quae illo bello orto in tuto collocata vel translata essent, vellent transferre aut Magnetes per Milesiorum aut Milesii per Magnetum fines, immunes essent, si transferrent post duo menses inde a pactionis tempore;

quaecumque autem bello in tuto collocarent vel transferrent aut Magnetes (55) in Milesiorum aut Milesii in Magnetum fines aut utramque urbem incolentes vel [ea mente] perveherent, [ut] reportarent in suos fines, essent ea immunia prospicerentque eis magistratus utriusque civitatis;

esset autem eadem pax et Prienensibus, Magnetum sociis, et Heracleotis, Milesiorum sociis;

quicumque (60) autem duces vel summae imperii prae fuissent vel praefectorum munere functi essent vel officia praestitissent cuilibet earum civitatum, quarum nomina praescripta essent, vel socii fuissent quolibet modo, esset his omnibus impunitas atque oblivio eorum, quae inter bellum fecissent, neve crimen subeundum aut publice aut privatim ullius rei antea usque ad pactionis tempus factae;

quot autem cives captivi (65) illo bello capti aut Magnesiae aut Mileti aut Heracleae aut Prienae essent in custodia publica, redderet unaquaeque civitas eundem numerum per legationes

ad paciscendum missas; captivos autem Milesiorum hunc numerum superantes benigne populus Magnetum dedit sine pretio Rhodiis; eos autem captivos, qui essent penes privatos Magnetum (70) aut Priensium aut Milesiorum aut Heracleotarum, solvendo curarent: Magnetes, quot Milesiorum vel Heracleotarum essent Magnesiae vel Prienae, Milesii, quot Magnetum vel Priensium essent Mileti et Heracleae; remitterent — — (qui sensus sit versuum 72 extr. — 76, incertum).

(77) Pactionibus [autem confirmatis] [legati populi Magnetum profecti] Miletum iure iurando adigunt [populum Milesiorum; legati autem] ad pactionem [a Milesiis] missi [iure iurando adigunt] (80) [populum] Magnetum; ius iurandum autem [dant Magnetes Milesiis, Milesii] Magnetibus; iuranto autem sacra incendentes ius iurandum infra incisum:

Jus iurandum Magnetum: Iuro per Dianam [Leucophryenam et ceteros cunctos deos] atque deas me servaturum esse [pacta et staturum conventis] neque iraturum esse de ulla re antea [facta; servanti (85) ius iurandum bene sit], violanti contra!“

Ius iurandum Milesiorum: „Iuro [per Apollinem Didymeum et] ceteros cunctos deos atque deas me servaturum esse [pacta et] staturum conventis neque iraturum de ulla re [antea facta]: servanti ius iurandum bene sit, violanti contra!“

[Ratum esset autem] pactum secundum Milesiorum ordinem a deo post (90) [Apollonium] stephanophoro mensis Pyanopsionis die decimo sexto, secundum Magnetum ab Aristeo [stepha]nophoro mensis Hagneonis die decimo quinto; [traderetur autem] pactorum exemplar signatum [legatis] Rhodiorum etiam in urbe Rhodo servandum, donec transcripta [essent in columnas].“

Cap. II.

De scripturae ratione
et de rebus orthographicis.

Comparandae mihi videntur cum inscriptione nostra imagines n. 105 et n. 106 in Milet II p. 116 sq. publicatae.

Quibus continetur:

1. Milet II n. 12a, 1—10,
2. SJG² n. 660 = Michel n. 480, 6—12.

Haussoullieri (p. 216 sq.) de altera inscriptione iudicium confirmatur a Fredrichio (Milet II p. 116 sq.), qui contulit eam chartam, qua titulus expressus est, eumque lapidem, quo illud de Lichante epigramma continetur; nam repperit inscriptionem SJG² n. 660 esse priorem eo titulo, quem antea attulimus; epigramma autem saeculo secundo ineunti, alteram inscriptionem tertio saeculo exeunti a. Chr. n. (vel accuratius: extremae parti quartae saeculi tertii) tribuendam esse censet.

Ad comparandas titulorum aetates exscripsit has litterarum formas (p. 117):

A : A; ξ : Σ ; Ξ : Ξ ; Υ : Υ .

Litteras A et Σ diverso modo tractari in eodem lapide Milet II n. 12a non animadvertit Fredrich; exstat enim in vv. 1—4: A¹) et ξ , in vv. 5—16: A et Σ vel Σ . Quod observari potest praecipue in ea, quam R. possidet, imagine phototypica. Itaque ille coniecit epigramma ipsum (vv. 5—16) posterius superiore

¹) Haec forma etiam in ea inscriptione Milesiaca, qua continetur nomen Dionysiclis artificis; quam Wiegandius in 6. Milet-Ber. (Abh. d. Berl. Akad. 1908) p. 24 sq. eiusdem fere aetatis esse commemorat atque eam, quae nunc in Milet II n. 12a publicata est.

inscriptionis parte et postea occasione aliqua oblata (cf. infra p. 49) adiunctum esse.

In lapide nostro autem semper exstat: A et Σ vel Ξ ut in epigrammate. Litterae π , cuius altera hasta in titulo nostro videlicet semper corripitur (cf. de recentiore forma π e. c. J-Magn. XXXII), in SJG² n. 660 habet formam vetustiore π , Lichantis epigramma et titulus noster π , non exstat littera in Milet II n. 12a 1—4.¹⁾

Jam paucis exemplis allatis apparet Lichantis epigramma et inscriptionem nostram eiusdem fere aetatis esse i. e. secundi a. Chr. n. saeculi ineuntis, aetatis prioris non solum SJG² n. 660, sed etiam Milet II 12a 1—4.

Tituli nostri scriptura, etsi litterarum formae non carent elegantia quadam et venustate recentioribus temporibus communi (cf. e. c. apices parvulos extremis litteris adiunctos, cf. etiam Kernii commentationes in J.-Magn. pp. XXX seqq. de ea scripturae ratione, ad quam Magnetes altero saeculo ineunte processerunt), tamen non ita magna laude digna est; cui titulo incidendo multum laboris impertivisse lapidarium vix quisquam dixerit; cf. e. c. diversam litterarum magnitudinem in vv. 2. 3 et in vv. 4. 5. 6 et in reliqua parte, litterarum spatia solito minora in vv. 4. 5 et solito maiora in inferioribus fragmenti a versibus, inprimis in v. 21 (ubi post *Ἀριστείδου* unius vel duarum litterarum spatium vacat), earundum litterarum formas modo plus modo minus diductas, e. c. N in v. 22 *ἀποσταλέντων* et in v. 6 (*[B]άτωρος*).

Adiungo hoc loco nonnulla in titulis accurate perscrutandis haud praetermittenda: Signis non interpunguntur in lapide nostro vocabula; in v. 27, ubi incipit ipsum pactum, inter *Ἡροδότου* et *εἶναι* lacuna unius fere litterae est.

Quod in titulo nostro alteri saeculo ineunti tribuendo servat lapidarius plerisque locis legem illam de vocabulis dirimendis (ne divellatur syllaba versus termino, Keil, Herm.

¹⁾ Litterae rotundae et T, E, Σ interdum in titulo nostro minores sunt quam ceterae.

XXV (1890), 598 sqq.), minime mirandum neque magis, quod aliam aliis locis sequitur rationem, quotiens agitur de dirimendis consonantibus; cf. Ἀλεξανδ[ροῦ] vv. 25/6 (cf. Μενά(ν)δ[ροῦ] J-Magn. 299 a 1, Nachmannson, Laute und Formen der magnetischen Inschriften 117), π[έτ]ροῦς vv. 37/8; sed [δέτ][θρο]ν v. 33/4. Ceterum cf. etiam vv. 89/90: [μῆ][τ' Ἀπολλώνιον] (praepositionis πρόκλισις! Nachmannson ib. 73). — Interdum spatia vacant in extremis lineolis, quamquam nihil, quominus explerentur, obstabat (vv. 6. 34. 46. 57).¹⁾

Consonantium assimilatio²⁾ in fine vocabulorum multo saepius omittitur in titulo nostro quam adhibetur (non plus quam decies, σνν in compositione numquam mutatur; quare in vv. 38/9 scribendum: σ[ννλύ|σει]ς).

Adhibetur elisio ante vocales in omnibus praepositionibus in vocales exeuntibus (causa est praepositionum harum ἐκ προκλίσεως positio! cf. Nachmannson ib. 73). — Exceptis prae-

¹⁾ Illa de vocabulis dirimendis lex servatur iam tertio saeculo locis haud paucis, etsi videlicet non omnibus (cf. e. c. Meisterhans, Grammatik d. att. Inschriften³ 7²⁸), etiam vetustiorum illius saeculi titulorum Milesiacorum et Didymeorum, cf. e. c. Milet II n. 10 (inter annos 287 et 281); Hauss. p. 34 sqq. 195 sqq. = J. O. n. 214 (haud raro etiam in titulis Magnesiis tertio saeculo tribuendis, sed cf. J.-Magn. XXXI). Hoc utique considerandum mihi videtur et adiungendum ad notam Delamarrii (Rev. de Phil. XXVI (1902), 293⁴) de titulo Didymeo anno 253 inciso, nunc publicato in Hauss. p. 76 sqq. et in J.-O. n. 225; cf. nunc etiam novum fragmentum illius tituli publicatum in 6. Milet-Ber. (Abh. d. Berl. Akad. (1908) pp. 35—37); locis permultis servatur lex illa de dirimendis vocabulis; ubi non servatur vel non videtur servari, subsunt haud raro certae causae ad pronuntiandi rationem pertinentes (praepositionis πρόκλισις vel aliae; vel agitur de consonantibus dirimendis), cf. vv. 4/5. 7/8. 8/9. 13/4. 14/5. 34/5 (in fragmento vv. 7/8. 19/20. 20/1. 24/5. 27/8. 28/9). — Ceterum in SJG² n. 660, 10/1 restituendum est: πότ[ε][ρο]ν, quod apparet iam imagine a Fredrichio addita (recte in Dial.-Inscr. III, 2 n. 5498: πότ[ε][ρο]ν).

²⁾ De hac re aliisque eiusmodi quaestionibus scripsisse constat Nachmannsonium (Laute und Formen der magnetischen Inschriften, Uppsala 1904), cuius commentationibus confertur plurimum ad singulorum temporum in his rebus rationem cognoscendam.

positionibus ϵ ante vocales multo saepius ponitur quam eliditur (deest non plus quam ter).

N-παραγωγικόν, quod in Atticis inscriptionibus etiam ante consonantes rarissime omittitur (Blass, Ausspr. d. Griech.³ 85 sq.; Meisterhans, Grammatik d. att. Inschr.³ 113 sq.), in titulo nostro ante vocales deest nusquam, ante consonantes saepius adiungitur quam omittitur (11 : 4). — Illud iota, quod vocatur adscriptum,¹⁾ post η semel omittitur (v. 71), quinquies adiungitur (2 bis. 39. 60. 93); uno loco (v. 56) excepto semper scribitur post α et ω (ut in lege Samiorum frumentaria item secundo a. Chr. n. saeculo tribuenda cf. Wilamowitz, Sitz.Ber. d. Berl. Akad. 1904, 927).

¹⁾ Ea aetate, cui titulus noster tribuendus est, illud iota omitti coeptum esse in titulis constat; Blass, Aussprache des Griechischen³ 48, Nachmanson, Laute und Formen der magnetischen Inschriften 57, apud hunc scripta ad hanc materiam pertinentia.

Cap. III.

Singulorum locorum explicatio.

Accedamus nunc ad singulos locos inscriptionis nostrae accuratius explicandos! E rerum memoria colligendae erunt inprimis eae res, quae pertinent ad saeculum tertium a. Chr. n. exiens alterumque iniens; quibus postea erit utendum ad aetatem tituli accuratius definiendam.

² Ἀγαθῆι τύχη· eadem formula in exordiis titulorum Milesiacorum: Milet III n. 149, 1; Sitz.Ber. d. Berl. Akad. 1906, p. 259, v. 1; p. 265, v. 1; Abh. d. Berl. Akad. 1908 (6. Milet-Ber.) p. 19; ib. p. 45, n. 1, v. 1; n. 2, v. 1.

Μάγνητες καὶ Μιλή[σιοι]. Magnetes et, quae ad eos pertinent, in textu documenti nostri plerumque priore loco afferuntur (excepto v. 89 sqq.) ut plerumque ea, quae ad Samios pertinent, in illo titulo Priensi n. 37.

4—6: De Rhodiis (3).¹

^{4/5} Π[ο][δ]ῶν· restituit R.

⁵ Ë numero eorum Rhodiorum, quibus Philostratus nomen est, fortasse afferri potest is, qui anno 201 triremi Rhodiorum praefectus erat, cum ad Chium pugna navalis committeretur, et fortissime Theophilisco, duci classis Rhodiorum, periclitanti opem tulit (Polyb. XVI, 5, 1. 6) (R).²

⁶ Νικοστράτου [τοῦ Τ]εισύλου· legit et explicavit R, qui me docuit Nicostratum legatum Rhodiorum interfuisse liti Prie-

¹) Numero nomini civitatum adiuncto significatur legatorum numerus.

²) Vix cogitari potest de Philostrato, Theuclis filio, apud Gelderum 511 allato (florete circa annum 220).

nensium et Samiorum componendae (J-Prien. n. 37, 4/5). — Ceterum Rhodius nomine Nicostratus pugnae navali ad Chium commissae interfuit (Polyb. XVI, 5, 1—3); mortuum esse eum proelio illo censet R. Herzog (Klio II (1902), 331¹, ubi ille Nicostratus a Polybio allatus nominatur: *Νικόστρατος Νικοστράτου*). Loco Polybiano, si verum quaerimus, nihil certi de illius Nicostrati fortuna elici potest. — De Tisyli, Solis sacerdotis, aetate nunc cf. Gelder 133.

Rhodii egerunt principes in pace Milesiorum et Magnetum concilianda; Rhodiorum legatorum nomina praeponuntur vel Atheniensibus. Cf. etiam vv. 67—69. 92—94. De Rhodiorum auctoritate opibusque postea erit accuratius tractandum (cf. infra p. 40 sq.).

6—8: De Atheniensibus (3).

^{6/7} De Alexione, Speusippi filio, cf. Kirchner, Prosop. Att. n. 561: *Ἀλεξίων* (II) *Ἀζηριεύς*, IG II 983 col. I v. 11, qui largitor exstitit [*ἐπὶ Ἐρμογένους ἄρχοντος*] (quod suppletur secundum col. I 119), i. e. anno 183/2, cf. Köhler ad IG II 975 p. 403 et Ferguson, The athenian archons p. 58 § 47 tab. III et Kolbe, Die attischen Archonten p. 99. Novimus etiam Speusippum, Alexionis fratrem, Prosop. Att. n. 12 846; nomen patris adhuc in Prosopographia Attica ignotum erat. — Licet arbitrari eum Alexionem, qui affertur in titulo nostro, eundem esse atque eum, qui in Prosop. Att. n. 561 nominatur.

^{7/8} E numero permultorum illorum Atheniensium, quibus Theopompus nomen erat, afferendus esse videtur mihi hoc loco is, qui commemoratur in Prosop. Att. n. 7034 (cf. IG II n. 983 col. II v. 85, ubi Theopompus Coloneus exstitit largitor eodem anno quo Alexion; patronymicum in lapidibus Atticis non traditur).

⁸ Post *Ἀημοκλείους* quamvis aegre dispicio *ἐκ* [*Κο*] *λωνων*; ante terminationem *ων* in lapide littera *ε* fuisse nequit; obstat spatii ratio. Quae forma recta non est cf. Pauly-Wissowa V, 1, 75). Utrum est scribendum [*Κο*] *λωνων* ortum errore eius, qui composuit documentum (cf. talia demotica qualia *ἐκ Κηδων*!) an *ἐκ Κολων(ε)ων* (ita, ut *ε* lapidarii neglegentia excidisse putemus; *ἐκ*

Κολωνέων ut inusitatum ita recte derivatum est ex *Κολωνεῖς*, qua forma significatur universus demoticorum numerus cf. etiam Pauly-Wissowa V, 1, 33 et ἐκ *Κεραμέων* etc.)? Praefero formam alteram. — De demoticis Atticis in titulis aliarum civitatum nominibus civium Atheniensium adiunctis: cf. A. Wilhelm, Beitr. z. griech. Inschriftenkunde 54. 307; exempla ibi allata nostris augeri possunt.

Constat Athenienses exeunte saeculo tertio cunctis fere civitatum Graecarum aut exterarum contentionibus abstinuisse (Polyb. V, 106, 7) neque ullis aliis rebus interfuisse nisi colloquiis Phalarensibus (anno 209, Niese II 485, Gelder 119) idque una cum Rhodiis. — Saeculo exeunte Magnetibus miserunt decretum honorificum de Dianae Leucophryenae feriis (J-Magn. n. 37).

At anno 200 societatem inierunt cum Rhodiis libertatem civitatum Graecarum a Philippo V., rege Macedonum, defendentibus (Niese II 592); cf. ib. etiam de officiis, quae tum Rhodii Atheniensibus praestiterunt, et de eis honoribus, quos ab Atheniensibus Rhodiis tributis sunt (Rhodii civitate Atheniensi donati sunt!); constat Athenienses socios Rhodiorum Attalique exstitisse tam studiosos, ut nomen regis Macedonum ex titulis exstingerent, Antigoniada et Demetriada tribus ceterosque honores, quibus reges Macedonum colebantur, anno sequenti tollerent (Niese II 605).

Atheniensium foedus, etsi opes eorum tum erant minimae (cf. e. c. Liv. XXXI, 22, 7. 8, Niese II 464. 595), tamen magni momenti erat libertatis Graecorum defensoribus propter celeberrimum civitatis illius nomen; in titulo nostro trium legatorum Atheniensium nomina afferuntur post Rhodios ipsos. Ceterum Athenienses bello ipsi interfuisse nunc apparet titulo illo Delico in honorem Epicratis Rhodii, in cuius classe etiam „naves apertae“ Atticae fuerunt, SJG² n. 264, Niese II 635⁴.

8—12: De Cnidiis (2), Myndiis (2), Samiis (3),
Halicarnassensibus (3).

8 *Κυδ[ίωv]* legit R, quamquam fatendum est ea vestigia, quae antecedunt litteras ΝΙΔ, minus accedere ad formas lit-

terae κ quam ad alias (velut Δ, χ, Α). Tamen, cum de ΝΙΔ dubitari non possit, supplementum certum est.

Bello inter Philippum et Rhodios anno 201 orto Cnidii Rhodiorum socii fuerunt (Niese II 587, R. Herzog, Klio II (1902), 328).

9 [Μν]ρδίων supplevit R. — Ἡγέμο[ρ]ο[ς]. ε post γ non satis certum; utrum restituendum sit Ἡγγέμο[ρ]ο[ς] an Ἡγέμο[ρ]ο[ς], diiudicare non possum. Utraque forma in usu est.

Anno 197, cum Antiochus III., Syriae rex, peteret civitates Graecas Asiae minoris, Rhodii Myndiorum libertatem a rege defenderunt, Liv. XXXIII 20, 12, Niese II 640.

11 Θεσσαλοῦν sic! ceterum cf. Nachmanson, Laute u. Form. d. magn. Inschr. 89 sq.

Samus fuit inde ab eo bello, quod dicitur Laodiceum, Ptolemaeorum dicionis (Beloch III 2, 276 sq.; Liv. XXXIII 20, 11), inde ab anno 220 navium longarum Aegyptiacarum portus (Polyb. V 35, 11). Anno 201 expugnata a Philippo (Niese II 583, Gelder 122 sq.), postea regi erepta est; pace facta insulam Aegyptiorum regi non iam redditam esse apparet (cf. Niese II 588¹). Ut Myndios, ita Samios quoque Rhodii defenderunt ab Antiocho anno 197 (Liv. XXXIII 20, 12). De rebus Samiorum et Priensium, quorum contentiones illa ipsa aetate a Rhodiis diiudicatas esse constat, cf. infra p. 49 sq.

Halicarnassensium civitas sub finem saeculi tertii Ptolemaeorum dicionis fuit (Beloch III 2, 266 sq.); anno 197 sicut Myndii et Samii libertatem debuit Rhodiis (Liv. XXXIII 20, 12).

De versibus 13—15:

13/14 Quae littera fuerit ante .ων in vv. 13. 14 ineuntibus (X? Φ? in v. 13, Α? in v. 14) diiudicari nequit. Utriusque ethnici partem antecedenti lineae extremae aut totum ethnicum (videlicet brevius) versui 14 extremo tribuere spatii ratione neque cogimur neque vetamur; si non fuit ethnicum in v. 14 extremo, ea civitas, quae affertur in v. 14 ineunte, in maiorum civitatum

numero fuit (misit tres legatos ut Rhodii, Athenienses, Samii, Halicarnassenses!)

13 Ad tales nominum formas quales *Λιονυσικλής* nunc conferri potest E. Maaf, Neue Jahrbücher vol. XXVII (1911), p. 544.

15 [A]σσαλδώμων. Fuitne A illa prima littera? ¹⁾ Assaldomus nomen adhuc ignotum est neque exstat in eis nominum Cariorum catalogis, quos publicavit Haussoullier in BCH IV 315 sqq. (cf. etiam Clerc, BCH VI 193, Reisen in Lykien und Carien von Benndorf-Niemann p. 11 sq. n. 2); in quibus reperimus saepissime notam illam consonantium λ et δ coniunctionem. — Ad nomen Graecum cum barbaro mixtum cf.: Ἀθηναγόρης Παρρησιώλου in titulo Halicarnassensi, Reisen in Lykien und Carien von Benndorf-Niemann p. 11 n. 2. — Ceterum cf. nunc infra add. p. 51.

Non potui supplere ethnicorum reliquias in v. 13 sq., cum neque sufficerent ad certas coniecturas faciendas ea, quae exstant in lapide, vestigia neque certi quicquam elici posset de nominibus et patria legatorum. Tamen de ea re — sperari potest repertum iri aliquando supplementa idonea — hoc loco adiungere velim tantum:

Cauniorum nomen utrum supplendum sit necne, potest dubitari propter Polyb. XXX 31, 6; cf. nunc etiam Rehmii sententiam in add. p. 51; in vv. 12/13 et 13/14 supplendis cogitari potest: de Chiis (in v. 13 ineunte; de his cf. Niese II 450. 458. 485. 489. 494, praecipue 583⁷, Gelder 122); de Byzantiis (anno 201 coniuncti sunt cum Rhodiis: Polyb. XVI, 2, 10; Antiochus non audet facere eos dicionis suae, sed favet eis quam maxime: App. Syr. 6. 12), de Bargylietis (Niese II 654 ad annum 196); de quibusdam aliis civitatibus in Caria sitis; exciditne Iasiorum nomen (*Ιασέων*; cf. Beloch III 2, 466;

¹⁾ cf. Ἀσσωρον ὄρος in Samo insula, Ἀσσησιός prope Miletum, Steph. Byz. s. v. (R.), multa alia oppida longius ab his regionibus remota ut Ἀσσοσ in Troade (Fick, Vorgriech. Ortsnamen 55), Ἀσσας nomen personale Phalannaum, (Fick-Bechtel, Griech. Personennamen 126).

Niese II 621; BCH XIII 23 sqq.; Niese III 80; de civitate in illa Asiae minoris parte sita possit cogitari praecipue propter nomen Assaldomi), an Coiorum (R. Herzog in Sitz.-Ber. d. Berl. Ak. 1901, 473³. 476. 478, Klio II (1902), 320 sqq.)? De Ephe-siis et de tota illa quaestione cf. etiam infra pp. 45, 47 et add. p. 51.

15—17: De Teis (2) et Cyzicenis (3).¹⁾

^{15/6} Teos ea aetate summa veneratione Liberum colentes magna auctoritate floruisse eorumque asyliae ius a civitatibus et regibus confirmatum esse constat cf. e. c. Niese II 572¹. 642². Id mihi hoc loco tenendum videtur: quidquid fortasse statui potest de regum vel civitatum quarundam amicitia, Tei non nimis cum ullo rege vel civitate coniuncti vel ullius factionis studiosi existimandi sunt. Ceterum cf. nunc add. p. 51 sq.

¹⁷ Ἀντιχράτου (et Ἐπικράτου 23) pro — ους: cf. ea, quae de hac re attulit scripta Nachmanson, Laute u. Form. d. magn. Inschr. 135—137; sed Ἐνμύδου[ς] v. 24 (litteram ς suppleendam esse certum est).

Cyzicenorū civitas fuit colonia Milesiorū cf. test. in Dial.-J. III 2, p. 647. Cyziceni iam anno 219 una cum Rhodiis inter reges Aegyptiacum et Syriacum pacem conciliare conantur, cf. Niese II 375, sed etiam Gelder 118 sq.; civitatem illa aetate fuisse suae potestatis tradit Polybius (V 63, 5 ad annum 219). Anno 201 Rhodios adiutos esse a Cyzicenis conici potest eis, quae traduntur apud Polyb. XVI 31, 3 (Niese II 583⁶). Cui civitati Antiochus, dum versatur cum exercitu suo anno 197 in Asia minore, pepercit (Niese II 642); eius libertas a Romanis decreto Isthmio anno 196 confirmata numquam postea ab Antiocho, dum certat cum Asiae minoris civitatibus Graecis, laesa est; cf. in-primis App., Syr. 12: ὁ δ' Ἀντίοχος χρηματίσας τοῖς Ῥωμαίων πρόεσβει Ῥοδίουσιν μὲν καὶ Βυζαντίουσιν καὶ Κυζικηνούσιν αὐτονόμους ἐπηγγείλατο εἶσθαι.²⁾

¹⁾ nisi post Σννιόμο[v] spatium vacavisse conicimus.

²⁾ Docuit me R. coniecisse Hasluckium in Cyzicus 175⁴ urbem illam

18—21: De Achaeorum foedere (1) et de Megalopolitis (1), Mantineensibus (1), Patrensibus (2).

18 *Αα[μοξέρου]*· quamquam haud pauca personarum nomina incipiunt litteris *Αα*, tamen fortasse *Αα[μοξέρου]* restituendum esse veri simile putabimus; nam permultum valebat apud Achaeos Damoxenus Aigiensis, qui autumnno anni 197 princeps legatorum ad senatum Romanum missorum enixe dedit operam, ut foedus Romanorum Achaeorumque confirmaretur a patribus (Polyb. XVIII 42, 6, Niese II 646²).

Achaei, sub finem saeculi tertii regis Macedonum amici atque socii, bello anno 201 orto diu se applicare ad Rhodios recusaverant, tandem anno 198 in concilio Sicyone habito, postquam diu haesitaverunt, horum sequi coeperunt partes (Niese II 615 sqq.). Cum Romanis autem, Rhodiorum sociis, foedus ictum est non prius quam anno 196, cum magnae difficultates superandae essent.

Rhodii adiuti sunt ab Achaeis anno 197, cum incursarent in Peraeam Asiaticam (Niese II 626. 636, Gelder 129). De ea necessitudine, quae inter Achaeos et Rhodios intercedebat, cf. plurima testimonia apud Gelderum 128.

19 *Φρασιαρίδα*· ad genitivi formam cf. ex titulis Milesiacis e c. *Ἀρχέλα*, Haussoullier p. 166, v. 15; 6. Milet-Ber. (Abh. d. Berl. Ak. 1908), p. 37 sq., v. 15, Nachmanson, Laute u. Form. d. magn. Inscr. 120.

In inscriptionibus in Megalopolitarum urbe inventis et publicatis in „Excavations at Megalopolis“ (London 1892) nihil reperi, quod referrem ad inscriptionem nostram.

Megalopolitae, qui anno 235/4 sese applicaverant ad Achaeorum societatem (Beloch III, 1, 655) permultum valebant in foedere illo et auctoritate ipsisque plurimis civitatibus prae-

occupatam esse ab Antiocho; quod concludi posse App. Syr. 12: sed falso interpretatus est H. illam vocem „*αὐτονόμους ἐάσειν*“. — Cyzicum iam loci opportunitate tutam fuisse ab Antiocho apparet.

stabant. Ad litem Milesiorum Magnetumque componendam proprium miserunt legatum. Megalopolitae ut colerent Rhodiorum amicitiam, certo factum est merito Aristaeni, postquam anno 198 multi cives recesserunt ab eis, qui dabant operam societati cum inimicis Philippi faciendae (Niese II 618). Nam ut apud omnes fere Peloponnesios erant Megalopoli quoque duae factiones, quarum una favebat Romanis, altera, etsi non adiuvabat horum adversarios, tamen abnuebat foedus Romanum; in quibus numerandi sunt Lycortas et Philopoemen (P. Herthum, De Megalopolitarum rebus gestis et de communi Arcadum re publica, Comment. philol. Jen. V 96). Tum igitur, cum Megalopolitae adhibiti sunt ad Milesiorum Magnetumque litem componendam a Rhodiis, Philippi adversariis, Romanorum sociis, Rhodiorum amici in civitate plurimum valuisse videntur.

19,20 [ἀπ' Ἀντιγοῦν]εῖας· ea desideratur foederis Achaeorum civitas, cuius auctoritas tanta est, ut eam legatum proprium misisse arbitrari possimus. Mantineenses,¹⁾ quorum civitas vetustissima et maxima inter Arcades vocatur (Polyb. II 56, 6), vi ac armis coniuncti sunt cum foedere Achaeorum inde a belli Cleomenei temporibus. Sed tum nomen urbis mutatum est in honorem Antigoni Dasonis, Macedonum regis, socii Achaeorum et Arati, qui Mantineam ceperat (cf. e. c. BCH XX 135).

Antigonea nomen ne tum quidem abolitum est, cum Macedonum opes tota Graecia corruerunt et foedus Achaeorum defecit ab eorum societate; in illis quidem documentis Mantineensibus, quae usque ad Hadriani tempora exstant,²⁾ semper nomen mutatum in usu fuit. Si rectum est supplementum nostrum, etiam Mantineenses, quorum civitas ut Megalopolitarum in amplissimis totius foederis fuit, proprium miserunt legatum ad litem Milesiorum et Magnetum componendam.

20 In *Διοκλείου(ς τοῦ) Ἀγισιλόχου* inseruit *ς τοῦ* R.; substan-

¹⁾ cf. Beloch III, 1, 738 sq., Niese II 338. 347. 349.

²⁾ cf. J.-O. n. 441 not. 97 (R).

tiva in -κλήης exeuntia in hac quidem inscriptione semper genitivi terminationem -ους habent, cf. 7. 8. 12. 13. 24.

ἀπό Πατ[ρῶν] restituit R., quod supplementum perbene congruit cum spatii ratione et litterarum numero (supplere ἀπό Πατ[ρικῆς συντελείας], quo nomine Patrensiū civitas significari solet, vetamur spatio). Patras autem in vetustissimis et amplissimis foederis Achaeorum civitatibus fuisse constat (cf. Niese II 211. 455², multos alios indicis locos). — Tres igitur civitates foederis Achaeorum cum Rhodiis coniuncti miserunt proprios legatos: Megalopolitae, Mantineenses, Patrenses.

21—24: De Magnetum legatis (5).

23 Δι[οκλείους]· restituit R.; in J.-Magn. n. 105, 8 exstat nomen civis Magnetis: Ἐπικράτης τοῦ Διοκλέους τοῦ Διονυσιοκλέους (circa annum 135, cf. Kernium ad titulum). Haec autem conicere libebit: avi nomen additum esse posse ad hunc Epicratem ab alio eiusdem nominis cive, filio Dioclis, Epicratis nepotis, distinguendum; quare eum Epicratem, qui in titulo nostro affertur, avum esse illius Epicratis, quem finximus, circa annum 135 florentis. Quod si verum, pater nostri Epicratis fuit Diocles; quare fortasse recte, etsi minime certum putari potest, Δι[οκλείους] restituas.

23⁴ [Πυθοδοῦ]ου τοῦ Χαρισίου· Pythodotus, Charisii filius, Magnes a civibus saepius iudex vel legatus ad alias civitates missus est: J.-Magn. nn. 54, [4]. 41; 89, [1]. [30]. [45]. 66. 73; 90, 7. Titulus n. 90 fortasse eidem aetati tribuendus est, cuius nostrum esse scripturae ratione conclusimus. Pythodotum amicitiam artificum Dionysiorum colentem commemorat R. etiam in ea commentarii sui parte, quae pertinet ad Teiorum Magnetumque amicitiam (Milet III p. 347²). Supplementum veri simile existimari potest.

24 Πυθοκλείους τοῦ Ἡγησίππου· in J.-Magn. n. 98, 3: Πυθο-
[κλεί]ει[δου τ]οῦ Ἡγησίππου (scripturae ratione adductus Kernius lapidem secundo saeculo ineunti tribuit, p. 84). Secundum titu-

lum nostrum, quin *Πυθο*[*κλ*]*ε*[*ου*ς] corrigendum sit, dubium non est. — Pythocles igitur anno Aristei, filii Demetrii (J.-Magn. n. 98) *γραμμαιεὺς τῆς βουλῆς* fuit. Quem Aristeum esse eundem stephanephorum Magnesium apparet atque eum, cuius anno pactum nostrum ratum fit (v. 91).

In titulo illo Magnesio anno Aristei constituitur, ut Iuppiter Sosipolis, et agriculturae et urbis ipsius praeses (Kern, Arch. Anz. 1894, 78 sqq.), feriis, sacris, supplicationibus colatur et adeatur precibus *ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας καὶ τῆι χώρῃ ἰπὲρ τε τῆς εἰρήνης καὶ πλούτου καὶ σιτογορᾶς καὶ τῶν ἄλλων καρπῶν καὶ τῶν κτηνῶν* (vv. 26—31). Considerantes autem, quo anno pax nostra conciliata est, eodem facta esse haec omnia vix negabimus rationem quandam intercedere inter ea, quae constituuntur in J.-Magn. n. 98, et bellum Milesiorum et Magnetum confectum.¹⁾ Nam hi, quorum opes divitiaeque positae erant in agris pomisque colendis, cives eius oppidi, quod olim Persarum rex Themistocli dederat *εἰς ἄρτον*,²⁾ cum liberati essent periculo illius belli, quod praecipue in Maeandri valle gestum esse putandum est,³⁾ certo habebant, quod publice colere inciperent Iovem agriculturae praesidem, non solum Leucophryenam, cuius veneratio tam plena ambitionis et iactationis fuerat.

Δ]ημητριῶν restituit R. ex inferioribus litterarum partibus.

25—27: De Milesiorum legatis (5).

Nomina legatorum aut eorum patronymica restituit R.,⁴⁾ Theogenis nomen ex Milet III nn. 149, 4; 150, 4. 8. 126; Heca-

¹⁾ Videlicet si Smision, mensis Magnetum, quo illae feriae decernuntur, posterior est Hagneone (cf. v. 91 nostri tituli), id quod veri simile putat R. (Milet III p. 344 extr.).

²⁾ testimonia ad J.-Magn. n. 17, 31.

³⁾ cf. infra ad vv. 28—32.

⁴⁾ Vocabuli *Ἀρτεμιδώρου* (27) pars prior ex inferioribus litterarum partibus suppleri potuit.

taei, Antigoni patris, ex n. 149, 5 (afferuntur Theogenes et Antigonus ipsi in his titulis, id quod perbene congruit cum aetate tituli nostri (R.); cetera supplementa fulciri possunt inscriptione n. 33 a, 7. 12, ubi existunt arbitri Demetrius, filius Alexandri, et Glaucippus, filius Damasiae; quod filii illorum arbitratorum in titulo nostro existunt legati, perbene cum utriusque inscriptionis aetate congruit; ceterum [Α]εωδάμας Βάτωνος (n. 33 a 6) nostri Theogenis pater fuisse potest (R.).¹⁾

28—32 τῆς δὲ χώρα[ας τ]ῆς περαίας· cogitandum est de ea orae parte, quae trans sinum Latmium ex adverso sita erat Milesiorum urbi et prope aberat a Myunte, oppido antiquo (nomen „peraea“ referenda esse videtur ad paeninsulam praeter hunc locum non amplius quam semel idque de regione prope Corinthum sita, Bursian, Geogr. v. Griech. I 382 sq.). Quae ora etiam comparantibus cum Magnesiae situ χώρα περαία est, cum sit trans Maeandrum, longe maximum et nobilissimum horum locorum fluvium („peraea“ de regione in ripa fluminis contraria sita: e. c. Joseph., Bell. Jud. II, 20, 4).

Ad Hybandi fluminis nomen conferendus est Plinius (n. h. II 204),²⁾ qui tradit nomen Hybandae insulae quondam in aperto mari sitae, tum continenti Asiaticae adiunctae; Hybandus fluvius eidem fere regioni Cariae tribuendus esse videtur cui insula illa pristina.³⁾ Affertur in Milet III n. 33 d 12⁴⁾ regio, quae [Hyb]andis appellabatur;⁵⁾ haec regio autem sita fuisse videtur prope agros Myusios (ib. n. 33 e 12).⁶⁾ Dolendum

¹⁾ De his omnibus rebus cf. nunc Milet III p. 344.

²⁾ cf. I.-Prien. n. 566 p. 222, ubi titulus noster affertur ab Hillero v. G.

³⁾ cf. etiam loco Pliniano ordinem pristinarum insularum et partium continentis inter Halicarnassum et Magnesium ad Sipyllum sitarum; ceterum cur adnotavit Hiller v. G. ad Parthenium promunturium „in der Krim“?


⁴⁾ Titulis n. 33 continetur receptio Cretensium quorundam in civitatem Milesiacam.

⁵⁾ τῆς δὲ [Υβ]ανδίδος.

⁶⁾ Μνο[υσίων δὲ τούς κ]ε[κτημ]ένους τὰς οἰκίας ἐν τῷ χωρίῳ δέξασθαι αὐ[τούς]. Quae loca deliguntur domicilio Cretensibus civitate Milesiaca donatis.

est, quod nomen non iam agnosci potest in aliquo nominum Turcicorum, quae nunc ibi i. e. in campis circa Maeandrum sitis in usu sunt (cf. nunc P. Wilskii chartam in Milet I). — Etiam, si vocabula inscriptionis nostrae et res geographicas accuratius examinaverimus, Hybando fluvio vix ullum alium significari putandum erit nisi talem de monte Latmio decurrentem, quali separatur illa paeninsula a reliqua terra continenti ad orientem spectante vel qualis non multum abest ab illa paeninsula, cum Hybando definiatur utriusque civitas „peraea“ et pars Milesiorum vergat ἀπὸ το[ῦ πο]ταμοῦ τούτου [ἀπ]ο-κάτω ἕως θαλάσσης (30. 31. 32), si quidem hac voce describuntur fines perspicuitate satis magna (id quod licet suspicari in tali documento).

Si Hybandus aquas effert in mare aut in Maeandrum, non iam necesse erat indicari, quibus finibus circumscriberentur latera „peraeae“ utriusque. Comparandae sunt etiam tabulae geographicae: Rayet, Milet et le golfe Latmique Pl. II; Wiegand-Schrader, Priene, tab. I et tab. II, Wilskii chartam in Milet I, nunc etiam chartam Latmi montis in Milet vol. III, 1 (Der Latmos von Th. Wiegand) et eam, quam R. adiunxit commentationibus suis de Milet III n. 149 in p. 353. Ibi fuisse videtur mihi Hybandus, ubi nunc in chartis Rayetii et Wiegandii (in tab. II in „Priene“ et in tabula in Milet vol. III, 1) et Rehmii perspicimus rivum, qui prope Myuntem inter ortum solis et meridiem de monte defluit, nomine Asap, vel fortasse etiam ibi, ubi in charta Rayetii perspicimus tres rivos, qui ultra illum rivum Asap in regionibus ad orientem spectantibus de monte ad Maeandrum defluunt. Quod si rectum, Myus Milesiorum facta est. Id, quod conclusi, video nunc congruere cum Rehmii sententia, qui cogitat de rivis Asap et Kyrpalan. De tota illa quaestione scripsit R. in commentario suo summa subtilitate multis novis argumentis imprimis ad rem geographicam pertinentibus allatis, cf. Milet III, p. 348 sq. In J.-Priene, test. n. 519 p. 212 Hiller v. G. sine ulla dubitatione indicare videtur illo termino constituto Myuntem tributam esse Milesiis.



Quod verum esse libenter fortasse etiam alia causa adductus existimes; nam si oppidulum illud factum est dicionis Magnetum, circumscripta esse mihi videtur „Peraea“ Milesiaca finibus aequo angustioribus, opinione maior Magnetum „Peraea“. Tantum hoc loco afferri potest ad quaestionem illam.¹⁾ Dolendum est quod parum constat, quibus finibus usi sint Magnetes, Milesii, Prienenses in campo circa Maeandrum sito. Cum aliud tum hoc incertum est, utrum Magnetum termini attigerint sinus Mycalensis oram necne (de hac quaestione cf. Wilamowitz, Goett. gel. Anz. 1900, 577).

31. 32 cf. *πάσαν* bis positum! Utrique videntur polliceri se dimissuros esse ea, quae trans flumen aut poposcerunt aut iam bello ceperunt; concessionem igitur faciendae sunt ab utraque civitate.

34—36 Legati igitur ad *σύνλυσιν* missi et de pace facienda egerunt, id quod Magnesiae factum esse veri simile est,²⁾ et ipsi profecti sunt inspecturi regionem ad Hybandum flumen sitam et ad terminum definiendum. Ad *ἐπέγνωσαν* cf. e. c. Dittenb. J.-O n. 441, 104. 113 vel *ἐπιγνώμονας* sive *γνώμονας* Atticos oleas sacras visentes et custodientes (Harp. s. v.) (R).

37 *τοῦ ποταμοῦ τοῦ Ὑβάνδου* respice vocabulorum positionem, quae rarissima est; de hoc usu apud Thucydidem egit Poppo-Stahl ad VII 80, 5 (Kühner-Gerth, Gramm. d. griech. Sprache II, 1, 601 inf.).

32—38 Diligentissime cavent Magnetes et Milesii, ne perturbetur pax alveo Hybandi mutato, id quod facile fieri potuit vi aquarum de montibus decurrentium et fauces iterum atque iterum erodentium vel arenarum a fluviis rivisque prope ostia coacervatarum (neque opus est cogitari de terrae motibus in hac Asiae minoris parte saepe etiam alveos mutantibus).

43 Videlicet legendum est *ἐγ καὶ [ῥίσει]*, non *ἐγ καὶ [ῥίσει]* concin-

¹⁾ Videlicet minime necesse est arbitrari totum pagum Myusiorum Milesiis redditum esse.

²⁾ Sed nunc cf. infra p. 51 sq.

nitatis verborum causa; ad praepositionis ἐν significationem cf. e. c. Thuc. I 77: ἐν τοῖς ὁμοίοις νόμοις τὰς κρίσεις ποιεῖν (Kühner-Gerth, Gramm. d. griech. Sprache II, 1, 466).


44 Ἀνάθεσις et καθιέρωσις multis locis non differunt inter se cf. e. c. J.-O. ind. VIII s. καθιέρωσ; nostro autem loco sensus hic esse videtur: καθιέρωσις loci alicuius fit aut, si qua terra ipsi deis consecratur, aut efficitur ἀναθέσει i. e., si donum deis alicubi statutum est (cf. ἀναθέσει et καθιέρωσει praepositione omissa artissime coniuncta, nisi ἐν lapidarii neglegentia excidit).

45 μηδὲ κατὰ παρείρησιν μηδεμίαν· ne fiant παρευρέσεις, ca- veri solet in eiusmodi documentis; cf. exemplum in vicinis regionibus datum: Prienenses, quorum cives tyranni dominationem fugientes Cario castello potiti erant (J.-Prien. 37, 109. 110), hac causa interposita illud sibi vindicabant (cf. μηδὲ φρούριον 41. 42/3).

46 παρεύρεσ| TP^o legit R. in lapide; post rectam hastam Σ sequentem duarum fere litterarum spatium; παρευρέσε[ως] vel παρευρέσε[ων] spatii ratione comprobari non potest. Legendum puto: παρεύρεσι[ς ἦ] τρό[ς] 46/7 cf. vv. 44/5. 49/50 (substantiva παρεύρεσις et τρόπος inter se coniuncta!).

47—50 Ad ea σύλων genera, quae hic significantur, cf. e. c. Schoemann-Lipius, Griech. Altert.⁴ II, 7, etiam J.-O. n. 730, 24 not. 8, ubi exempla afferuntur σύλων adversus civitates edictorum. — Utrique suis sociis eiusmodi σῦλα in civitatem inimicam distribuerunt; florebant hac aetate piratarum praedonumque terra a marique latrocinia (Niese II 581. 571, Gelder 121); quae duraverunt etiam post pacem inter Philippum et Romanos factam, cf. Philopoemenis apud Cretenses secessum, Niese II 568. 678. — Pace facta Milesii et Magnetes recessuri sunt ab eiusmodi sociis saepe non minus periculosus quam famosis; quos cum nimis offendere vereantur iidemque velint impedire, ne pergant exercere latrocinii ius, nihil aliud pollicentur paciscentes nisi se nullo modo fautores vel auxiliaturos σῦλα possidentibus neque accepturos esse quicquam rapti.

50 ἀπ[εσ]κενρασμένων· i. e. earum rerum, quae in tuto collocatae sunt; cf. e. c. J.-O. n. 748, 10 et not. 8; in SJG.² n. 112 pro ἀποσκενάξασθαι ἐπίθεσθαι. — In vv. 50—53 interpretandis cogitari potest de eis Cretensibus, qui a Milesiis in „Peraea“ in agris Myusiorum collocati sunt (cf. supra p. 20⁶) inde ab anno 228/7 — id quod nunc demonstravit R. in Milet III (p. 199). „Peraea“ autem pace facta dividitur inter Milesios et Magnetes; quare illorum Cretensium pars ex his regionibus recedere bonaque sua amovere (μεθεσταμένων!) et Miletum sedem transferre cogitur Myusiis, qui priores in „Peraea“ agros possederant, ius suum persequentibus; de toto illa quaestione cf. etiam ib. 201 sq.

56 διάγωσιν, [ἴν]α· in ectypis vetustioribus nihil legitur nisi διάγωσιν (R. in scheda), in charta Frèriana διάγωσι . Sed cum nulla alia lectio congruat cum recto loci sensu nisi διάγωσιν, [ἴν]α, concludit R. litteram Γ illatam esse in textum a Frèrio (cf. e. c. Kernium ad J.-Magn. n. 5, 33).

58,9 Civitates sociae, Heracleotae (i. e. cives Heracleae ad Latum sitae) et Prienses, legatos non miserunt (id quod valde mirandum), sed constituitur a legatis ad pacem inter Milesios et Magnetes conciliandam missis, ut eadem pax pertineat etiam ad socios (videlicet cum utraque civitate seorsum foedera icta sunt).

De Priensibus, Magnetum sociis, tantum loco nostro afferendum est:

Apparet facillime potuisse oriri contentiones¹⁾ et bella geri de terminis definiendis inter Milesios et Prienses haud ita longo spatio distantes, quorum plurimum interfuisse fines suos propagari in campis circa Maeandrum inferiorem sitis est, quod suspicemur; eoque magis Priensium auxilio usos esse Magnetes, quo gravioribus simultatibus cum civitate vicina ipsi implicati erant.

In J.-Prien. 26 celebratur Menares, qui bello cum Milesiis gesto virtute floruit. Apparet eum non fuisse natum civem

¹⁾ De talium contentionum causis cf. nunc, quod R. adnotat ad Milet III n. 144 in p. 326.

Prienensem, sed peregrinum ducem mercede conductum, postea propter merita civitate donatum (*πολίτης ὄν!*), cf. infra p. 26. Hiller v. G. lapidem tertio saeculo tribuit scripturae rationem secutus; ob eam rem nullam rationem intercedere inter bella ibi et in nostra inscriptione allata iudicat.

Cum quo hoste pugnaverit eadem fere aetate Meletus ille *σὺν ὄπλοις* Prienen profectus, non traditur (J.-Prien. add. n. 380 p. 312), neque quicquam de societate ulla aut a Milesiis aut a Priensibus ad haec bella gerenda facta memoriae proditur.¹⁾

Commemorari potest hoc loco J.-Prien. 61, fortasse saeculi tertii exeuntis decretum, quo honoraverunt Magnetes iudices a Priensibus missos, et responsum Priensium. Qua aetate quanta fuerit utrorumque amicitia, describit Hiller v. G., J.-Prien. XVI sq.

J.-Prien. 28 traditur pactum a Milesiis et Priensibus de litibus diiudicandis factum. Lapide valde mutilato tantum cognosci potest: quae *ἐκ τῶν ἐπάνω χρόνων* aguntur lites, eas affligendas esse (2. 3. 4); magistratibus utriusque civitatis curandum esse: *ὕπερ [ἐκατέρων ὥστε Μιλησίους καὶ Πριηνεῖς β]οιθεῖν ἀλλήλοις* 5/6. — Hiller v. G. censuit pacta illa brevi post annum 200 facta esse (rationes in scriptura positae ob stare non videntur); quae coniungenda esse veri simile putaverim cum ea pace inter Milesios et Prienses facta, quae nostro titulo traditur; eiusmodi autem pactum additum esse paci ipsi est nobis, quod coniciamus. Certi videlicet de hac re statui potest nihil; quae pactiones factae esse possunt etiam aetate paulo posteriore.

De J.-Prien. 27 vix disputari potest, cum non satis liqueat, utrum magistratus Romanus an Pergamenorum rex scripserit illam epistolam ad Prienses et admonuerit Smyrnaeos, ut

¹⁾ Saeculo tertio exeunte civitatem Milesiorum sumpsisse pecuniam mutua a civibus suis nunc traditur titulo Milesiaco n. 147; quem tribuendum esse anno 205/04 et referri posse ad bellum cum Priensibus gestum censet R. (cf. commentarium ad n. 147).

arbitri existerent litis Milesiorum et Priensium. Si scripsit magistratus, certo titulus non est prior anno 188; sin scripsit Pergamenorum rex (Attalus I. vel Eumenes II.), saeculo secunda ineunti tribuenda est (nam scripturae ratione utique vetamur multo priorem iudicare inscriptionem Priensem); sed etiamsi constaret eam scriptam esse ab rege, incertum esset, utrum agatur de eodem bello in illa inscriptione atque in nostra necne. Fortasse putaverit aliquis inscriptionem paulo priorem esse nostra, quod Rhodii nondum existunt arbitri; idem concludit R. in Milet III p. 348. At cum iam fundamenta incertissima sint, necesse erit desistere omnibus conclusionibus, quae inde fieri possint de compositione litis Milesiorum et Priensium.

Dolendum est, quod de Heracleotarum rebus parum novimus; nam titulus J.-O. n. 24 prior, SJG.² n. 287 posterior est quam ut colligere possimus quicquam ad eam, quam nos tractamus, aetatem pertinens.¹⁾ Quod Heracleotae hoc bello et contra hos adversarios copias coniunxerunt cum Milesiis, facile iam re geographica explicatur.

59-64 Postquam *συνελύθησαν Μάγνητες καὶ Μιλήσιοι* (i. e. civitates Magnetum et Milesiorum), oportuit defendi ab omnibus criminibus et insidiis eos duces (et socios), qui officia praestiterant singulis civitatibus; quorum in ducum numero fuisse apparet etiam peregrinos mercede conductos; horum causa praecipue inseritur documento nostro illa pacis condicio. Bellantes — civitatibus illis mercatorum vel agricolarum locupletium ea aetate opus fuit peregrinorum militiis arteque militari ad eiusmodi bella suscipienda — aluerunt et conduxerunt duces mercenarios ut iam saeculo tertio (de exercitu Magnetum cf. Wilamowitz, Goett. gel. Anz. 1900, 574; de Menare et Meleto supra p. 24 sq.; de Cretensibus tertio saeculo a Milesiis conductis cf. Milet III p. 199 ad n. 33 f., 11 et

¹⁾ Titulum Milet III n. 150, quo traditur bellum exarsisse inter Milesios et Heracleotas, sedecim fere annis posteriorem esse quam nostrum R. mecum communicavit.

Milet II n. 12, 7). Conferendus nunc est etiam titulus ib. n. 39 et Rehmi adnotatio.

Agitur de eis, penes quos inter bellum fuit summum militare imperium (*ἔστρατηγήκασιν* 60) et de ducibus singularum exercitus bellantis partium (*ἡγήγηται* 60; cf. etiam e. c. Onos., de imperat. off. 24 extr.; et *ἡγεμόνας* apud Magnetes (I.-Magn. n. 14, ubi commemorantur *φρούραρχοι* et *ἡγεμόνες*) et Ephesios, ubi item sunt copiarum ipsarum duces, Pauly-Wissowa V, 2, 2804).

64/65 De voce *σώματα πολιτικά* = „Personen bürgerlichen Standes“ sermonis „hellenistici“ propria cf. nunc Wilhelm, Parerga, Wiener Eranos zur 50. Philol.-Vers., 132.

66 (*Ποιήγητι ἐν*) inseruit R.

67/8 *ὑπεράγον|τας*: cf. J.-O. n. 314, 51 not. 32: *ὑπεράγειν* = *ὑπερβάλλειν*; ex eiusmodi compositionibus velut *ἀριθμῶ ὑπεράγειν* (Diod. XIII, 90, 4) oritur ea significatio, quae loco nostro statuenda est: superare numero = überzählig sein.

68/9 [*ἄ*][*ν*]*εῦ*: litterarum *ε* et *ν* partes quasdam perspicere posse censeo; post *ἔδωκεν* 68 et ante *εῦ* 69 unius litterae spatium; ne suppleamus *χωρίς*, spatium obstat.

67—69 Magnetes plures ceperunt quam adversarii; videtur concludi posse hoc loco Magnetes illo bello superiores discessisse; quare scribit Hiller v. G. in J.-Prien. test. n. 519: „Einst waren die Milesier tapfere Männer, aber in diesem Krieg pflückten sie keine Lorbeern.“ „*Οἱ ὑπεράγοντες ἀχιμάλωτοι*“ redduntur non Milesiis ipsis, sed Rhodiis traditi sunt videlicet remittendi in patriam; ceterum respice huius additamenti formam! Magnetes igitur, quod bello nacti sunt commodum, eo frui vetantur; tamen, ne offendantur nimis hac re, diligentissime cavetur; nam sua sponte „et gratum facientes“ tradidisse existimantur illam captivorum partem Rhodiis, pacis auctoribus (R).

69—72 Qui huius loci sensus sit, explicat R:

ἐκλυτροῦσθαι forma medialis est significans: curo aliquem pecunia data reddendum = redimo aliquem (cuius usus multa exempla). De significatione medii *λυτροῦσθαι* nunc subtilissime

egit H. Pomptow in Berl. philol. Wochenschrift XXX (1910), 1082 sqq.; demonstrat nulla exstare argumenta epigraphica, quibus comprobari possit illud medium *λυτροῦσθαι* aliam significationem habere atque „redimere“. Eos igitur, qui penes privatos Magnetum vel Prienensium vel Milesiorum vel Heracleotarum captivi sunt, reddendos curare debent et Magnetes et Milesii (civitates et Magnesia et Milesiaca!). Magnetes reddendos curare debent omnes Milesios et Heracleotas, qui in sua civitate et apud socios versantur i. e. Magnesiae et Prienae; Milesii reddendos curare debent omnes Magnetes et Prienenses, qui in sua civitate et apud socios versantur i. e. Mileti et Heracleae. Quare non singulis civitatibus, sed utriusque factionis civitati principi imponuntur ea omnia, quae opus sunt ad redimendos eos captivos, qui penes privatos sunt neque extra oppida supra allata versantur.

72—76

Doleo, quod non contigit, ut supplerentur ultimi versus fragmenti c. Agi de remittendis captivis privatis apparet (et postea de documentis in lapidibus incidendis). Quot versus exciderint, non liquet. Haud scio an non desint permulti.

76—80

Supplementa illa quidem incertissima esse apparet (ceterum in inferiore inscriptionis parte singulorum versuum litterarum numerus maximus est). Neque tamen fortasse conicere licet recedere supplementa illa nimis a totius loci sensu (maximi momenti est illud *οι εις Μιλητον* in v. 78, quod perbene potest suppleri ad *[παραγεγόμενοι]οι εις Μ.*, ita, ut censeamus Magnetum legatis iter faciendum esse Miletum Milesiorum iure iurando adigendorum causa; at, ne quam formulam suppleamus de itinere legatorum Milesiorum, obstare videtur mihi in versibus sequentibus spatii ratio). Legati a Magnetibus ad paciscendum missi Miletum profecti iure iurando adigunt populum Milesiorum; legati ad paciscendum a Milesiis missi iure iurando adigunt populum Magnetum. De pace igitur actum est Magnesiae.¹⁾ — Sed de tota illa quaestione nunc conferenda sunt add. in p. 52 sq.

¹⁾ Ne praetermittatur hoc loco alia supplendi ratio, qua accepta contrarium concludi potest: *ο[ι] μ[ε]ν π[ρ]ο[ε]β[ε]ις ο[ι] παρ[α] τοῦ δήμου τοῦ Μαγνήτων ἀπεσταλ-*

78 sqq.: Imperativus pro infinitivo, infinitivus rursus inde a v. 89. — De imperativo in *-τωσαν* exeunte *κοινης* proprio cf. Nachmanson, Laute und Formen in den magnetischen Inschriften 149 (cum scriptis ad hanc materiam pertinentibus), A. Wilhelm, Beitr. z. griech. Inschriftenkunde 295.

80 ὄρκια· cf. e. c. Schoemann-Lipsius, Griech. Altert.⁴ II 19 sq.

81 ἱερὰ κα[ίοντες]· de re ipsa et de formulis similibus cf. e. c. Schoemann-Lipsius, Griech. Altert.⁴ II 254, SJG.² n. 653, 2 (in-scriptionem de mysteriis Andaniae habitis).

85 ἐπιτοκοῦντι· de forma cf. Kühner-Blass, Grammat. d. griech. Sprache I, 1, 234 C a.

84/5. 88 Formulae eadem vel simillimae: Rev. de Phil. XXVI (1902), p. 292, v. 2 sq.; SJG.² n. 512, 9; Le Bas, Voyage arch. en Grèce et en Asie Min. II explicat. n. 353 v. 11.

86 [Αιδυμέα] an [Αελφίνιον]? Praeferendum [Αιδυμέα] et propter litterarum numerum et, quod hoc loco veri similis est invocari Apollinem Didymeum, totius civitatis deum praesidem, cf. e. c. dedicationem in curia Milesiaca inscriptam: Milet II n. 1 (et 2).

89 [στεφαν]ηγόρων θεόν κτλ: de hoc instituto cf. e. c. Kernium ad J.-Magn. n. 90, 1.

90 [Απολλώνιον]· ad hunc locum R. mecum haec communicavit: In titulo Milesiaco Inv. n. 662 (nunc Milet III n. 124) continentur multorum *στεφανηγόρων* Milesiacorum nomina. Ex eis autem stephanephoris, quae „deo“ antecedunt, ad locum nostrum splendendum propter spatium nulli alii adhiberi possunt nisi Ἀθηναγόρας

μέν]οι εἰς Μίλητον ὀρκισά[ωσαν τὸν δῆμον τὸν Μιλησίων] (77/78), 78—80 ut supra — id quod bene congruit cum spatio. — Tum de pace actum est Mileti. Formulae (de Magnetum legatis: ἀπεσταλμένοι εἰς Μίλητον; de Milesiorum legatis: ἀπεσταλμένοι ἐπὶ τὴν σύνθεσιν) optime cum hoc sensu congruunt; sed haec inest offensus: Nulla mentio fit — id quod in tali documento fieri credas — eius itineris, quod legatis Milesiorum faciendum est ad Magnetes iure iurando adigendos, quamquam significatur in v. 78 legatos Magnetum missos esse εἰς Μίλητον (i. e. iam paratos esse Milesios iure iurando adigere).

aut Ἀπολλώνιος· Plurimis de causis, quae hoc loco exponi non possunt, praefendum esse Apollonii nomen mihi R. demonstravit.

Ἰνανοψιδῶνα· Pactum nostrum igitur factum est autumnō (qui fuerit mensium Milesiacorum ordo, nunc constat, id quod me docuit R.); eidem anni tempore secundum inscriptionem nostram tribuendus est Ἀγνεών Magnesius. Quare Hagneonem Magnesium diversum esse debet conici a Prienensi, qui, si Hilleri coniectura recta est, idem fuit atque Hecatombaeon Atticus (J.-Prien. ind. VI, 4 s. [Ἀγνημών]). Titulis Magnesiis (excepto fortasse n. 1) nihil de Hagneonis tempore traditur.

⁹¹ [στεφαν]ῆφρον Ἀριστέα· cf. supra p. 19.

⁹² De antigraphis ex tabulariis editis cf. nunc A. Wilhelm, Beitr. z. griech. Inschriftenk. 279.

Cap. IV.

De Milesiorum et Magnetum rebus
et de bello inter eos orto.

Priusquam accedimus ad quaestionem gravissimam, ad aetatem tituli nostri definiendam accuratius quam re epigraphica fieri potuit, cum agatur de pace inter Milesios et Magnetes circa annum 200 a. Chr. n. conciliata, quaerendum est, quaenam fuerit exeunte tertio et ineunte altero a. Chr. n. saeculo utriusque civitatis condicio et quaenam rationes inter eas intercesserint.

1.

Miletus, emporium illud et vetustissimum et celeberrimum, quantopere floruerit etiam diadochorum aetate, in hac commentatione pluribus tractari non iam necesse est (cf. e. c. id, quod paucis indicat de hac re Th. Wiegand, Arch. Anz. 1901, 191). Hoc loco id solum adiungendum esse videtur: non poterat fieri, quin Milesiorum, quorum opes nitebantur praecipue commercio et maritimo et mediterraneo, multum interesset valere quam plurimum in „Peraea“ i. e. in paeninsula adversus urbem sita et obtinere quasi propugnacula in inferiore circa Maeandrum campo, qui et fertilitate excellebat et tamquam aditus erat interioris Asiae.

In his autem regionibus aemula haud spernenda existit Magnesia, oppidum mediterraneum, cuius divitiae maximam partem in agrorum possessione positae sunt, perbene iunctum non solum cum campo Maeandro inferiori adiacente, sed etiam et cum Epheso regionibusque circa Caystrum sitis et cum interioribus Asiae partibus.

Extremis saeculi tertii temporibus Miletum ut Samum et Halicarnassum (cf. supra p. 13) fuisse inter Ptolemaeorum possessiones veri simile est (Beloch III, 2, 277, qui affert Polyb. XVI, 15, 6). Qua re videlicet minime impedimur, ne credamus eos libertate paene integra usos esse non solum in re publica ipsa administranda, sed etiam in rebus foris gerendis.¹⁾ Sub finem saeculi bellum exarsisse cum Priensibus finitimis iam commemoravimus (cf. supra p. 24 sq.).

Documenta Didymea, quibus usus B. Haussoullier composuit res a Milesiis gestas, illi aetati accuratius describendae deesse videntur (inde a Seleuci Callinici temporibus, cf. nunc J.-O. n. 227; in coniectura positum est, quod H. dicit ad CJG 2853 in *Ét. sur l'hist. de Mil.* 211). In templo Apollinis Didymei aedificando haud ita magnos progressus fecerunt tum Milesii.

Sed cum Apolline Didymeo, praeside Milesiorum, quorum civitas exeunte saeculo tertio non tantis honoribus tantoque splendore excellit quanto prius, certare coepit Diana dea, Magnesia praeses. Inter omnes nunc constat Magnetes ab anno fere 220 Leucophryenae templo aedificando et feriis instituendis ceterisque civitatibus commendandis enixe dedisse operam, post annum 206 misisse legatos in omnes fere regiones, quae a Graecis incolebantur (J.-Magn. nn. 16. 18—84, Kern, *Hermes* XXXVI (1901), 491—515, cf. *inprimis* 494¹. 495; Wilam., *Goett. gel. Anz.* 1900, 575¹; Nachmanson, *Laute u. Form. d. magn. Inschr.* 146 sq.). Qua de causa cum universis et regibus et civitatibus eis colenda erat amicitia. — Magnetes coniunctos fuisse cum imperio Seleucidarum arbitratur Wilamowitz (*Goett. gel. Anz.* 1900, 567). — De Magnetum et Priensium amicitia cf. supra p. 25.

Magnetibus et Milesiis eis temporibus amicitiam vel societatem fuisse vix veri simile putare licet, multo verisimilius aemulationem ortam esse haud mediocrem neque tamen iam tum id bellum exarsisse, quod a Rhodiis compositum esse titulo

¹⁾ Idem fere indicat nunc de his rebus R. in *Milet* III p. 267.

nostro traditur, immo vero Magnetes, quibus opus erat pace ad ea, quae parabant, perpetranda, cavisse, ne implicarentur bello diuturno et sumptuoso.¹⁾

Magnetum in civitatem finitimam invidia et obtrectatio elucere videtur quodammodo inscriptionibus duabus Magnesiis a Deitersio restitutis: Rhein. Mus. LIX (1904), 565—579, ubi Magnetes apud Cnosios et Gortynios deprecatores existunt pro eis utriusque oppidi civibus, qui Miletum emigraverant. Quod factum esse censuit Deiters (ib. p. 577) paulo post 216, utique ante 205/4, quo anno mortuus est Ptolemaeus Philopator, quem arbitrum Gortyniorum et Cnosiorum exstitisse concludendum est (p. 571 sq.). Mihi quidem veri simile videtur eos legatos Magnetum, qui in decretis Gortyniorum et Cnosiorum commemorantur, in Cretam missos esse non multo ante illum „terminum ante quem“ (i. e. annum 205/4), quem statuit Deiters (neque certam affert causam, qua adductus illud brevi post 216 factum esse iure arbitretur; quare est, quod coniciamus decreta illa eorundem fere temporum esse atque legationes illas, quae de feriis Leucophryenae mitti coeptae sunt anno 206 (cf. supra p. 32); cum igitur Magnetes inciderent decreta ad legationes inter annos 206 et 201 missas (quem annum legationum illarum terminum „ante quem“ esse propter bellum hoc anno ortum puto veri simile), fortasse decreta Gortyniorum et Cnosiorum documentis ad Leucophryenae ferias pertinentibus inserta sunt. Tantum de aetate illorum decretorum statuendum. Qua autem causa adducti Magnetes illos Cretenses, qui Miletum emigraverunt, adiuverint, facile suspiceris: id agunt, ut priventur Milesii illa

¹⁾ Neque interfuerunt bellis exterarum nationum et eis inprimis annis legationes miserunt, quibus pax erat in Graecia ipsa, Wilam., Goett. gel. Anz. 1900, 576. — Hiller v. G., qui tum omnes res ad hanc materiam pertinentes nondum disquirere potuit, in J.-Prien. p. XVI hanc coniecturam fecit: Id bellum, cuius titulus noster testimonia exhibet, gestum esse eis annis, qui sequuntur annum 221/0. Anno 206 factam esse pacem. Cuius sententiae non exstat documentum.

Cretensium multitudine tam ampla, qua recepta auctae sunt eorum opes. — Sed nunc de hac re conferenda sunt add. pp. 53.

Inscriptione Magnesia n. 53 (cf. Haussoullier 147 et J.-Prientest. n. 521) non licet conicere quicquam de invidia Milesiorum; quos defuisse fortasse in subscriptione coniectum est neque tamen satis magna perspicuitate comprobari potest.¹⁾ — Nunc praecipue ea conferenda sunt, quae R. maxima subtilitate statuit de J.-Magn. n. 85 et Milet III n. 143 (anno 212/11!) in p. 322. Ostendit, quanta necessitudine coniuncti fuerint Milesii Trallianique et quanto studio Apollinis Didymeï colendi hi flagrauerint — neglecta Magnesiorum Diana.

2.

Apud Milesios autem saeculi tertii parte posteriore principes egisse videtur Lichas, Hermophanti filius (S.J.G.² n. 660 = Michel n. 480, de aetate cf. supra p. 6 sq.; Milet II n. 12a 1—10 cf. ib.). Quid autem licet conicere hoc lapide de rebus a Lichante gestis? Estne concludendum illo auctore Milesios foedus icisse cum Atheniensibus et cum Rhodiis et cum Cretensibus circa annum 201 contra Philippum V., Macedoniae regem? (cf. e. c. Hauss. 141; Hiller v. G., J.-Prient. XVI). Quam sententiam refellere conatur Deiters (Rhein. Mus. LIX (1904), 576) et M. Holleaux, qui in Klio XIII (1913), 147² adnotat scripta ad hanc materiam pertinentia, „garde encore quelques doutes.“

Atque primum quidem concedendum est, quod in epigrammatis v. 5 sq. de hac materia traditur, non sufficere ad sententiam illam comprobendam (id quod recte vidit Deiters).

Nunc autem — i. e. Delphini titulis editis — hoc inprimis statuendum est: In Milet III n. 33a 3 exstat Lichantis nomen [*Λίχαν*]τος τοῦ Ἐρμοφάντου, qui optime meritus est de Cretensibus in agris Milesiorum collocandis. Quem titulum R. anno 228/7 tribuere potuit; utrum Lichas anno 223/2, quo iterum Cretenses in agris Milesiorum collocati sunt, *σύνεδρος* fuerit

¹⁾ In Milet III 200³ R. putat recte ab Haussoulliero Milesiorum nomen suppletum esse.

necne, non traditur; veri similis putat R. in Milet III p. 199 eum tum non iam fuisse *σύρεδρον*. Post annum igitur 228/7 nullum certum testimonium de Lichante exstat; SJG² n. 660 et Milet II n. 12 a, 1—4 tertio saeculo tribui posse commemoravimus (cf. supra p. 6); accuratius quicquam de illorum titulorum aetate nequit statui. Saeculo altero ineunte, cum pax inter Milesios et Magnetes conciliaretur, Lichantem non iam vixisse paene pro certo habere possumus. Quid autem de Milet III n. 12 a 5—16 (qui versus eiusdem fere aetatis sunt atque titulus noster, cf. supra p. 7) putandum sit, iam supra in p. 6 significatur et postea accuratius explicabitur (cf. infra p. 49). Quae omnia cum ita sint, vix probari potest sententia eorum, qui putant Lichante auctore bello cum Philippo V. gesto Cretenses adhibitos a Milesiis ad pugnam foedusque ictum esse cum Rhodiis et Atheniensibus; a quibus qua occasione oblata Lichas honore affectus sit, non traditur.

Nihilo minus videlicet non dubitandum est, quin anno 201 Milesii steterint a Rhodiis Philippi inimicis — ante proelium ad Laden insulam factum; quod veri simillimum nobis videbitur considerantibus, quanto terrore, postquam Philippum superiorem discessisse cognitum est, percussi quantaque humilitate adulati sint regi et Heraclidi ei amicissimo, Philippi hostibus invisio (Polyb. XVI, 15, 6)¹); corruisse autem Philippi apud Milesios auctoritatem, cum ex Caria discedere cogeretur, comprobari vix necesse erit.

At Magnetes bello Philippico orto non stetisse a Rhodiis veri simile est et cavisse, ne interessent illi certamini. Non coguntur

¹ Quod Miletus fuerat inter possessiones Ptolemaeorum (cf. supra p. 32), haec una illius terroris causa vix fuisse potest. Milesios autem opem tulisse Rhodiis veri simillimum putabimus considerantes etiam Athenienses, quorum opes tunc minimas fuisse constat (supra p. 12 sq.), complures naves instruxisse huius belli causa. Cuius rei quod nusquam mentio fit, non offendimur, cum etiam de aliarum civitatum subsidiis non exstant testimonia nisi forte oblata (cf. e. c. de Cyzicenis supra p. 15).

ut Milesii imperio regis sese subicere; id autem colligere licet eo, quod transit Magnetes illo loco (XVI, 15) Polybius, cuius plurimum intererat commemorare ibi omnia incommoda Rhodiorum sociorumque ab Antisthene et Zenone, rerum scriptoribus Rhodiorum, tradita. Neque timendus eis erat Philippus, quocum necessitudine quadam coniuncti erant ut cum ceteris et regibus et civitatibus. Quare, cum rex anno 201/0 occupatam teneret Cariam, praebuerunt exercitui Macedonico esurientium copiam; Philippus autem eis, ut referret gratiam, donavit Myuntem, quo oppidulo antea potitus erat (Polyb. XVI, 24, 9).

Quod a rege ereptum est Milesiis. Pauca traduntur de Myusiorum saeculo tertio fortuna atque condicione. Quos anno 201 nondum cum Milesiis *συννοικισμῶ* iunctos fuisse censet Wilamowitz in Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1906, 38. Ceterum huius oppiduli divitiae opesque et civium numerus (*ὀλιγαυδρία*, Strab., Geogr. 636 C) quin magis magisque diminuerentur, fieri non poterat, cum sinus portusque arenis obruerentur paulatim saeculo tertio (Myuntem anno 250 iam interclusam fuisse a mari censet Rayet, Milet et le Golfe Latmique 31, cf. praecipue 28).¹⁾ Quae cum ita essent, non poterat fieri, quin Mysii libertate sua privarentur et dicionis Milesiorum, finitimae civitatis, fierent.²⁾ In Milet III n. 33 e, 12 agitur de Cretensibus a Milesiis in agris Myusiorum collocatis.

Quaerendum nunc est, quamdiu Magnetes obtinuerint Myuntem oppidulum. Quod inde ab anno 201 in perpetuum fuisse Magnetem conclusit Wilamowitz loco Polybiano XVI, 24, 9 (Goett. gel. Anz. 1900, 575; non multum differt eius sententia in Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1906, 38¹⁾). Atque primum quidem loco illo Polybiano talia conici non possunt; deinde considerandum est:

¹⁾ Cf. nunc J.-Milet III 348 sq. 352⁴.

²⁾ In Milet III p. 200 sq. R. disserit, quando et qua occasione oblata Mysii Milesiorum dicionis fieri potuerint.

brevi spatio intermisso coactum esse Philippum sese recipere ex Asia minore¹⁾ neque Magnesiaee collocavisse praesidium. Quae cum ita essent, suntne passi ei, penes quos Myus antea fuerat, frui Magnetes huius oppiduli possessione in perpetuum?²⁾ — Quae cum ita sint, nonne licebit suspicari tum, cum non imminabat iam periculum, Milesios, postquam denuo se applicaverunt ad Rhodiorum partes, id egisse, ut recuperarent, quae bello amiserant, Magnetes, ut obtinerent, quae acceperant a rege Macedonico, neque sua sponte cessisse possessione Myuntis earumque, quae circa Myuntem sunt, regionum?

3.

In lapide autem nostro agi de bello saeculo altero ineunte confecto docuerunt causae epigraphicae. Eo bello certatum est de „Peraea“, qua significari vidimus regionem adversus Miletum sitam i. e. eam regionem, quae prope Myuntem sita est (cf. supra pp. 20 sq.). Hoc oppido Magnetibus donato utique potuisse fieri demonstravimus, ut exardesceret bellum inter Milesios et Magnetes; quod bellum ortum esse prioribus temporibus quam annis 201 vel 200 multo minus veri simile, neque ullo certo testimonio comprobari potest.

Quibus causis omnibus adducti veri simillimum putabimus cohaerere illius belli originem ita, ut descripsimus, cum bello a Philippo V. et Rhodiis gesto.

De bello ipso omnibus fere testimoniis deficientibus videlicet vix quicquam aliud conicere possumus nisi hoc: utrosque amisisse haud parvam multitudinem et hominum et bonorum agrorumque (singulari quadam diligentia cauturi sunt, ne in futuro exardescere possint contentiones! Praeterea de Magnesia

¹⁾ Vere anni 200 cf. nunc Holleaux, *Klio* XIII (1913), 146².

²⁾ Loco illo in *J.-Magn.* n. 93 (= *J.-Prien. test.* n. 531), ubi iudices a Mylasensibus missi iudicium faciunt de lite quadam Priensium et Magnetum Myunte in templo Apollinis, minime conici posse apparet Myuntem tum (i. e. paulo post 188) fuisse Magnetum.

testimonium haud ineptum contineri videtur decreto illo J.-Magn. n. 98, quod attulimus supra p. 19). Milesios rem male gessisse¹⁾ et superiores discessisse Magnetes est, quod suspiceris (cf. vv. 67 bis 69); legati Rhodiorum, Milesiis amicorum et sociorum, ceterarumque civitatum convenerunt, si recte restituti sunt vv. 77—80, de pace acturi Magnesiam — licetne conicere tribuentes hunc honorem Magnetibus tamquam victoribus? (Sed cf. nunc add. p. 52 sq.)

¹⁾ Bello „Carico“ quantopere Milesiorum opes diminutae sint, nunc perbene iis illustratur, quae R. in Milet III p. 329 disserit de n. 145 (qua inscriptione continetur illa Eudemi donatio; titulum nunc R. tribuit anno 200/199).

De aetate tituli accuratius definienda.

Quaerendum nunc est, quo anno pax inter Milesios et Magnetes conciliata sit. Ad eam autem quaestionem solvendam perscrutandum videtur, quam materiam praebet inscriptio ipsa cum ceterae partes tum fragmentum a ad aetatem tituli accuratius definiendam.

1.

Atque primum quidem hoc statuamus oportet: nullius regis nomen esse in titulo nostro e. c. neque Ptolemaei neque Macedonici. Quod autem ei desunt, concludimus inscriptionem nostram illis temporibus tribuendam esse, quibus opes Ptolemaeorum et Antigonidarum in ora Asiae minoris ad occidentem spectante coeperunt corruiere i. e. eam posteriorem esse Ptolemaeo Philopatore (anno 205 mortuo) et bello inter Rhodios et Philippum V. gesto.¹⁾

Neque quisquam magistratus Romanus interfuit pacto nostro. Constat anno 188 decemvros a senatu missos esse, qui res Graecorum constituerent; inter hos Cn. Manlium Volsonem, qui primas egit partes, plurimarum civitatum Graecarum lites diiudicavisse, Liv. XXXVIII, 39, 5, Niese II 759, J.-Prien. 41, 415 (exstitit arbiter in contentionibus inter Prienses Samiosque ortis!). Quare anno 188 vel post hunc annum non iam fieri poterat, ut deessent Romani in tanta lite componenda; quibus causis adducti iudicamus pacem Milesiorum et Magnetum priorem esse anno 188 sive potius 192,

¹⁾ Defuerunt etiam reges et Syriacus et Pergamenus; de his cf. infra pp. 45—48.

quo bellum exarsit inter Antiochum III. et Romanos, quippe cum vix liceat conicere Rhodios illud munus suscepisse ea aetate, qua illud bellum gerendum erat.

Neque reges neque Romani conciliarunt pacem Milesiorum et Magnetum, sed Rhodii. Quam civitatem tertio saeculo a. Chr. n. et secundo usque ad annum 164 floruisse inter omnes constat opibus et auctoritate non minus apud reges regulosque quam apud civitates Graecorum liberarum. Rhodiorum legatorum sollertia anno 220 Byzantinorum civitatumque maritimarum lites diiudicatae sunt; multarum aliarum contentionum a Rhodiis compositarum exempla ad tertium saeculum (inde a 230) et alterum (usque ad 170) pertinentia collegit Gelder 113; Rhodii novies intra annos 219 et 206 exstiterunt arbitri bellorum a regibus et civitatibus Graecis gestorum aut soli aut una cum civitatibus amicis velut Atheniensibus (cf. supra p. 12), Cyzicenis, Chiis (cf. supra p. 14 sq.); anno 207 Thrasycrates Rhodius nomine eorum, qui Asiae minoris oram insulasque incolebant, bello Philippi et Aetolorum conficiendo dedit operam, Gelder 120.

Neque tamen negari potest Rhodios his annis cautius egisse in rebus foris gerendis quam audacius et cavisse diligentissime, ne ipsi bellis regum civitatumque implicarentur (cf. e. c. Gelder 121, Niese II 571 sq.); illis temporibus non tanta auctoritate florebant quanta post annum 201,¹⁾ quo gravissimis iniuriis a Philippo V. lacessiti²⁾ et aegre in mari Aegaeo et in Asiae ora opes suas ab hoc adversario callidissimo et audacissimo tuentes³⁾ tandem ceperunt consilium belli regi Macedonum indicendi. Nova incrementa ceperunt opes eorum, cum conciliatores regum civitatumque bellantium subito propugnatores defensoresque libertatis Graecae existerent. Tum societates fecerunt cum Cnidiis (cf. supra p. 13), Chiis, Byzantiis, Cois, Cyzicenis (cf. supra p. 14 sq.),

¹⁾ id quod Gelder non satis magna perspicuitate mihi tractavisse videtur.

²⁾ Gelder 121.

³⁾ Beloch III, 2, 463. 465; Gelder 121².

Milesiis (cf. supra p. 35), anno 200 cum Atheniensibus (cf. supra p. 12), anno 198 cum Achaeis, quorum auxilio usi facere expeditionem in continentem Asiaticam ausi sunt (cf. supra p. 16), etsi in his regionibus rem non semper bene gesserunt. Et cum Philippo V. a Romanis devicto Antiochus III., Syriae rex, dicionis suae facere studeret quam plurimas earum civitatum, quae antea penes Ptolemaeos fuerant, Rhodii tutati sunt Samiorum, Halicarnassensium, Myndiorum libertatem (cf. supra p. 13).¹⁾

Cuius incrementi²⁾ testimonium habetur gravissimum suo iure Rhodiorum de lite Samiorum et Priensium arbitrium, de cuius aetate nunc conferendae sunt Hilleri commentationes ad J.-Prién. n. 37 p. 43. Tantum autem documentum, si accurate omnia testimonia perlustraverimus, ante annum 201 reperimus nullum. Eius aetatis, qua tantopere effloruerunt Rhodiorum opes, noster quoque titulus est; propriae horum temporum sunt etiam legationes complurium civitatum ad pacem illam adhibitarum, quas bello secundo Macedonico foedere coniunctas fuisse cum Rhodiis vidimus, cum aliae tum Atheniensium legatio.

2.

Bellum Milesiorum et Magnetum cohaerere vidimus cum secundo bello Macedonico. Licetne fortasse concludere rationem quandam intercedere inter bellum Macedonicum confectum et pacem a Rhodiis conciliatam?

Bellum Macedonicum anno 196 confectum esse constat. Pacem autem nostram conciliatam non esse ante annum 197 concludi fortasse potest versibus 18—21: Nam misit legatos foedus Achaeorum, non misit foedus Aetolorum (quos defuisse, etsi valde mutilatum est fragmentum a, tamen nemo negabit).

¹⁾ Quod illa ipsa aetate Rhodii opes suas re vera coeperunt subruere Romano arcessitis, quibus in gravissima quaque quaestione cedere cogebantur, loco nostro nullius momenti est.

²⁾ In titulis Milesiacis n. 143 et n. 146, qui sunt aetatis prioris, nulla mentio fit Rhodiorum (R. in Milet III p. 346¹).

Qui eisdem fere temporibus quibus Aethioli diutissime cunctati a Philippo defecerunt,¹⁾ inimicitias susceperunt cum Romanis acerbissimas, quorum opibus in dies crescentibus magis magisque, ne diminuerentur suae, verebantur. Hoc apparuit cum alias tum post pugnam ad Cynoscephalas commissam, quod Aethioli suae ipsorum, non Romanorum virtuti victoriae partae laudem praecipue deberi gloriabantur (Polyb. XVIII, 48, 8, Liv. XXXV, 12, 15), simul usque ad internecionem cum Philippo bellandum esse pronuntiabant. Sed T. Quinctius Flamininus tunc ipsum Aethioli repugnantibus cum rege Macedonum de pace agere coepit neque sociis, quaecumque obibat negotia, reddebat rationem, Polyb. XVIII, 34, 3, Liv. XXXIII, 11, 5. 6, Plut. Tit. 9, Niese II 644 sq. Quare veri simillimum est hos, dum anno 197 exeunte et anno 196 ineunte agitur apud senatum populumque Romanum, conatos esse impedire, ne fieret pactum cum Philippo, Niese II 646. Denuo autem summa ira odioque concitati sunt Aethiolorum animi in concilio Thermae autumnus anni 196 habito (Polyb. XVIII, 48, 5—10, Niese II 654 sq.), adeo, ut hieme insequenti mitterent legatos Romam. Qui nihil, Aethioli plurimum impetraverunt; quare dicit Livius (XXXIII, 49, 8): „Aethiolorum quoque eodem tempore alienati ab societate Romana animi sunt.“

His autem simultatibus perturbatam esse amicitiam, qua antea coniuncti erant cum Rhodiis, fidelissimis Romanorum sociis, apparet et hac de causa non reperiri Aethiolorum nomina in titulo nostro (nisi forte casu evenisse putamus, ut hi abstinerent pace a Rhodiis concilianda). Secuti igitur illud ex silentio argumentum, quod etsi non certum, tamen sane haud spernendum est, vix putabimus veri simile pacem nostram factam esse ante annum 197, quo primum exarserunt apertae inter Romanos et Aethiolos simultates.

3.

Quo termino „post quem“ statuto respiciendum mihi videtur brevitur, quae bello Macedonico confecto i. e. anno 196 fuerit

¹⁾ cf. supra p. 16.

Graecorum condicio. — Atque eo quidem anno Macedonum rege devicto et Graecia tanto metu periculoque liberata Graecorum res a Romanis constitutae, lites inter singulas civitates ortae compositae, civitatum nationumque possessiones certioribus terminis definitae sunt. Accessit, quod T. Quinctius Flaminius, cum celebrarentur ingenti ex omnibus partibus concursu ludi Isthmii, edixit, ut universae civitates Graecae essent liberae (Niese II 651).

Similiter autem neque tamen pariter atque in Graecia ipsa res se habebant apud Asiae minoris civitates Graecas. Quae etsi decreto illo Isthmio libertatem adeptae erant, tamen Romani diligentissime cavebant, ne se rebus illarum interponerent, neque quicquam aliud factum est nisi ut P. Lentulus Bargyliam mitteretur, qui Philippi praesidio liberaret oppidum (Plut. Tit. 12, Niese II 654). Nam Antiochus III., Syriae rex, tum Asiae minoris orae occupaverat partem; quare Romani ea quidem aetate nondum ausi sunt lacessere temere regem, quocum tum de quaestionibus gravissimis erant acturi.

Neque tamen minus opus erat his regionibus pace concordiaque; cuius restituendae Rhodii susceperunt munus, id quod usque ad hoc tempus apparebat sola Prienensi illa inscriptione ad aetatem eam referenda (J.-Prien. 37).

Anno autem 196 iam quintum fere annum durabat Milesiorum et Magnetum bellum; nonne putandum est, cum fieret pax cum Philippo, harum quoque simultatum auctore, necessarium fuisse etiam illud bellum confici idque a Rhodiis, quippe cum principatum tenerent in illis regionibus his annis, quibus defensores, propugnatores, duces haud exiguae civitatum Asiaticarum Graecarum partis exstiterant? Neque harum omnium non interesse poterat, quibus temporibus libertas concordiaque Graecorum videbatur reviviscere, eisdem civitates tantas tantis contentionibus implicatas redire inter sese in gratiam? Quae necessitas quando fuit maior quam tum, cum etiam commune illud diuturnumque belli Philippici exstinctum est malum? Neque Magnetes re-

cusavisse diutius pacem facere veri simile est Philippo socio devicto.

Multis de causis hac occasione tum ipsum oblata Rhodios intercessisse putamus, etiam commercii sui causa, quod diminuebatur duabus civitatibus inferiorem Maeandri vallem bello vastantibus. Accessit, quod adiuvandi erant Milesii socii, quorum adversarios tum meliore loco fuisse veri simile est, neque tamen offendendi nimis Magnetes victores, quae difficultates tum bello Macedonico confecto facilius quam alias solvi poterant.

Quare, quod rerum commutatio anno 196 facta occasionem tituli nostri aetatis definiendae offert graviolem et meliorem quam ut possimus negligere in quaestione nostra, censeo pacem Milesiorum Magnetumque tribuendam esse potius huic anno (vel fortasse etiam insequenti) quam posterioribus (pacem ratam esse inde ab autumno v. 90 apparet, cf. supra p. 30. — Quod si rectum, consideranti, quae tum utriusque civitatis universarumque rerum fuerit condicio, neque solum geographicis, sed etiam eis causis adducto, quas e rerum memoria haurire possumus, mihi videtur veri simile: Magnetes victores accipere pace facta haud sperendam Peraeae partem, tamen cogi cedere Myuntis ipsius possessione, quam Philippi victi favore nacti erant, quamquam rem melius gesserunt Milesiis sociorum opera tutandis; quod eos, qui superiores discesserant bello Philippico, concessiose Rhodiis, quorum auxilio usi erant Milesii.

Cap. VI.

De rebus quibusdam illius aetatis propriis.

Definita tituli nostri aetate videntur mihi statuendae esse res quaedam et inscriptionis nostrae et temporum illorum propriae.

Ex Graeciae ipsius civitatibus nullae aliae adhibitae sunt ad pacem inter Milesios et Magnetes restituendam nisi Athenienses et Achaei (et tres huius foederis civitates) ea aetate cum Rhodiis artissima necessitudine coniuncti. Ex Asiaticis autem afferuntur in titulo nostro non plus quam octo fere vel novem civitates (si in v. 13 sq. Asiaticarum civitatum nomina afferri putamus). Quarum ex numero desiderantur non paucae eaeque haud mediocribus opibus florentes. Eae civitates, quarum nomina certa sunt, praeter Cyzicum in Caria aut in Ionia (plerumque in ea parte, quae vergit ad meridiem) sitae sunt. Earum autem civitatum, quae legatos miserunt, et nominibus et numero perbene significari puto, quae tum fuerit rerum illarum Asiaticarum status atque condicio:

E numero civitatum Graecarum in ora Asiae minoris et in insulis finitimis sitarum partem quandam ea aetate dicionis suae iam fecerat Antiochus aut certe facturus erat (Ephesus et Abydus iam anno 197 captae: Niese II 641; postquam hibernavit Ephesi (197/6), „omnes Asiae civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus. Et ceteras quidem haud difficulter videbat iugum accepturas“ Liv. XXXIII, 38, l. 2; rex dempturus est libertatem eis, quae tutelam Seleucidarum deseruerant, Cardinali, Studi di Stor. Ant. V 63; cf. App. Syr. 1: *Ἑλλησποντίους ἐπήει καὶ Αἰολέας καὶ Ἴωνας ὡς οἱ*

προσέχοντας ἄρχοντι τῆς Ἀσίας, ὅτι καὶ πάλαι τῶν τῆς Ἀσίας βασιλέων ἐπύχονον. Pleraeque regis dicionis fiunt, cum defendere non possint libertatem suam; οἱ μὲν πλείονες ἀντὶ προσετίθεντο καὶ φρουρὰς ἐσεδέχοντο δέει τῆ τῆς ἀλώσεως App. Syr. 2. cf. 6, ubi Menippus, regis legatus, dicit: θαναμάζειν, ὅτι κελεύουσι [Romani!] τῶν ἐν Ἰωνίᾳ πόλεων ἀφίστασθαι καὶ φόρους τισὶν ἀγίεναι). — Resistunt Smyrnaei et Lampsaceni, petunt a Romanis auxilium, oppugnantur a rege; de obsidionis tempore cf. nunc Cardinali, Studi di Stor. Ant. V 59³. De Samiis, Halicarnassensibus, Myndiis cf. supra p. 13.

Rhodiis illis quidem rex ipse saepius his annis favere conatur quam maxime eorumque amicitiam colit studiosissime et familiaritate atque officiis utitur haud paucorum, qui incolebant insulam (Gelder 131 sq.¹) Cf. nunc etiam Holleau, Klio XIII (1913), 153¹).

Sed si verum quaerimus, Rhodii et Antiochus non amicorum aut sociorum, sed aemulorum egerunt partes. Nam quo maiores progressus faciebat in Asiae minoris ora Antiochus, eo magis debilitabantur vere opes Rhodiorum, quos imperio Seleucidarum crescente necesse erat depelli paulatim eo principatu, quem bello Macedonico in his regionibus nacti erant cum ipsorum merito tum societate cum Romanis facta.

Quare cum rex anno 197 progressurus esse videretur ultra

¹) Censuit Gelder (132) Antiochum tum Rhodiis tradidisse arbitrium litis Samiorum et Priensium. Sed minime nititur certis documentis haec sententia, quam rectam esse ne verisimile quidem puto cum eis causis adductus, quas in hoc capitulo defensurus sum, tum eo, quod in praescripto tituli Priensis nullum reperitur huius facti vestigium; utrum aliquando Antiochus simultatibus harum civitatum diiudicandis operam dederit necne, haud satis liquet cf. ad J-Prien. n. 37, 137 commentationes Belochii (III, 2, 464 sq.) et Wilamowitzii (Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1906, 54 sq.); cuius sententia licet sit recta; tamen non est comprobatum circiter annum 196 Antiochum arbitrum exstitisse; quod aetate multo priore factum esse potest, cf. ib. 55. Quare illa Gelderi sententia non licet uti ad eas rationes describendas, quae circiter annum 196 inter regem Rhodiosque intercesserunt.

insulas Chelidonias, conati sunt intercedere; sed eos nihil impetravisse constat. Postea, quidquid poterant, Antiocho semper maiores progressus facienti auxiliis missis eripuerunt (cf. supra p. 13).

Quae omnia si comparaverimus cum eis rebus, quas de civitatibus Asiaticis in titulo nostro allatis statuimus, hoc conici posse putaverim: Ad pacem Milesiorum et Magnetum restituendam Rhodii convocant civitates Graecas liberas sibi quae amicitia iunctas, quae nondum factae sunt dicionis regis aemuli iam magna parte orae Asiaticae potiti quarumque tutati sunt et tutantur libertatem. Quantum eis licebat per regem Syriacum, utuntur ea auctoritate, qua florent apud Graecos, ad res civitatum Graecarum Asiaticarum constituendas. Quin etiam licebit concludere Rhodios conatos esse cavere id ipsum, ne Antiochus existeret arbiter litis inter Milesios et Magnetes ortae et interponeret sese eis rebus, quas constitui a rege extero suae auctoritatis servandae causa pati non poterant. Plurimum autem interfuisse illorum puto tenere principatum suum in ea quidem orae Asiaticae parte, quam iure suam provinciam existimare poterant (i. e. Cariam et eam Ioniae partem, quae vergit ad meridiem, fortasse usque ad Ephesum) cum aliis de causis tum, quod in eadem regione nonnullas civitates auxiliis missis regi eripuerant.¹⁾

Idem in tituli nostri ethnicis exprimitur. Perbene congruit cum his rebus, quod praeter Cnidios, Myndios, Samios, Halicarnassenses adhibentur Tei et Cyziceni; horum libertatem a nullo laesam esse constat (cf. supra p. 15); illi adhibentur, quod summa auctoritate florent apud plurimas civitates propter laudem in Liberi veneratione et in asyiliae iure positam (cf. nunc etiam add. p. 51 sq.).²⁾

¹⁾ Nunc etiam conferri potest Milet III p. 347⁴.

²⁾ Inter eas civitates, quarum nomina restituere non potui, Ephesios vix fuisse puto; in p. 14 sq. enumeravi plerumque nomina earum civitatum, quae in „provincia“ Rhodiorum sitae sunt.

Hoc quoque inscriptionis nostrae proprium est: deest etiam nomen Eumenis II., Pergamenorum regis; atqui hic ea ipsa aetate fidelissimus Rhodiorum et Romanorum et Achaeorum¹⁾ socius fuit neque postea bello Antiocheno regis Syriaci hostes deseruit. Sed in pace Milesiorum et Magnetum restituenda nemo arbiter exstitit nisi Rhodii et civitates cum eis necessitudine quadam coniunctae; praeterea hoc tenendum est: Eumenes non solum socius Rhodiorum fuit sed etiam aemulus de principatu civitatum Graecarum Asiaticarum; eiusque opes diminutae sunt non solum Antiochi expeditione (non inter veteres possessiones regum Pergamenorum, sed inter eas civitates Graecas, quae antea dicionis Ptolemaeorum fuerant, Cardinali, Studi di Stor. ant. V 63 sq.), sed etiam decreto Isthmio, quo civitates Graecae a Romanis, Rhodiorum sociis, libertate donatae sunt, Cardinali ib. 61²⁾

¹⁾ ut Attalus I., pater eius, anno 197, Niese II 625.

²⁾ Utrum Pergamenorum rex antea pacem conciliare conatus sit inter Milesios et Prienses necne, diiudicari non iam potest cf. supra p. 25 sq. — Ceterum non est mirandum, quod in titulo nostro nullum vestigium reperitur foederis Ionici, cuius nullum testimonium servatur a temporibus Antiochi I. usque ad annum 165 (J-Prien. test. n. 507. 535); aetas minime ea erat, qua florere posset talis societas.

Cap. VII.

De titulis nonnullis eidem fere aetati
tribuendis.

Adiungere velim hoc loco pauca, quae pertinent ad inscriptiones nonnullas, quae eiusdem fere aetatis sunt.¹⁾

De aetate inscriptionum Magnesium ad Leucophryenae ferias pertinentium (J.-Magn. nn. 16—84) haec commemoranda sunt: Tituli ipsi ante annum 200 incisi esse non possunt cf. *παίδων ἀγών* J.-Magn. n. 16; anno autem 200 Olympiae certamina puerorum instituta sunt, Kern, J.-Magn. p. XIII. Decreta igitur illa, quae Magnetes tam diligenter tamque magnifice curaverunt incidenda, bello confecto anno 196 vel sequentibus annis lapidibus mandata esse veri simile est. Nam tum erat civibus satis otii ad negotia eiusmodi exsequenda et memoriam illarum legationum colendam. — Milesii autem illa aetate celebravisse videntur Lichantis memoriam, quem tum non iam vixisse coniecimus (cf. supra p. 35), versibus illis infra prius decretum incisis (cf. inprimis p. 7). Laudibus eo maioribus effertur illud „foedus“, cuius auctor exstitisse dicitur Lichas, quo minus Milesii ipsi floruerunt laude bellica.²⁾

Comparari potest cum inscriptione nostra J.-Prien. n. 37 (cf. supra p. 41). Etiam hic titulus illorum temporum est, quibus Rhodios omnibus viribus conatos esse vidimus tenere principatum in quadam orae Asiaticae parte. Sed desunt in illo res eae, quibus adducti nostram inscriptionem anno certo tribuere potuimus;

¹⁾ De J.-Magn. n. 98, J.-Prien. nn. 27. 28. 61 cf. supra pp. 19. 25 sq.

²⁾ De qua re vere Lichas optime meritis sit, vix significatur (R. in *Milet III* p. 199).

non exstant sociorum nomina, quae tam propria sunt tituli Milesiaci. Ad litem Samiorum et Priensium componendam cives Rhodiorum mittuntur iudices; aliarum exterarum civitatum legati non adhibentur ad munus illud exsequendum, quod non solum multi laboris, sed etiam multi temporis erat. Utra inscriptio vetustior sit, certo iudicio videlicet statui nequit; fortasse autem tantum afferri potest: bellum Milesiorum et Magnetum celerius componi et debuit et potuit et hac de causa conicere licet prius illud confectum esse, ita ut nostrum titulum paulo vetustiore quam alterum suspiceris et litem Samiorum Priensiumque inter annos 196 et 192 diiudicatam esse statuas.

Addenda.

A d. p. 14 sq. (vv. 12/3): Supplevit R.: [Καυ][ρ]ίων et adnotat allato loco Polybiano XXX 31, 6: „Aber die Form der Symmachie wird doch auch dieses Verhältnis gehabt haben.“ Ceterum censet non satis liquere, quando Caunus emptione Rhodiorum facta sit, Milet III p. 346³.

A d. p. 14 sq. (vv. 13 extr. — 15): R. adiuvanto Hillero v. G. hunc locum restituere conatur hoc modo: [Μυλα-][σ]έων Ἀπολλωνίου τοῦ Νυσίου, Ἰάσο[νος τοῦ Αἰονυσίου], [Υ]σσαλδῶμον κτλ.; quibus causis adductus sit, explicat in commentario (Milet III p. 346) adiunctis testimoniis prosopographicis. ε in v. 14 in. incertissimum neque prius restitutum est quam cetera suppleta sunt. Certum huius loci supplementum vix reperiri potest.

A d. p. 15: Ad inscriptionem nostram explicandam R. adhibet in commentario suo (Milet III p. 346 sq.) testimonia de Teiorum Magnetumque et de Philippi V. Teiorumque amicitia. Censet Teos et cum Magnetibus et cum Philippo artiore quodam vinculo coniunctos fuisse et putandos esse quasi socios Magnetum (etsi videlicet non ita, ut Milesii finitimaeque civitates fuerunt socii Rhodiorum). — Hoc anno publicavit M. Holleaux in *Klio* XIII (1913), 137—159 commentationem, quae inscribitur: Les décrets des villes crétoises pour Téos. Censet: Philippum inde ab anno 201 post victoriam ad Laden insulam reportatam valuisse plurimum apud Teios (ib. 144); Apollodotum et Colotem, qui adiuvantur a Perdicca, Philippi legato, profectos esse ad Cretenses anno 201 (ib. 146); eisdem fere temporibus Teios adiutos esse etiam ab Hagesandro Rhodio, ab Antiocho III. misso (ib. 150), in p. 158 dicit H.: „Au printemps de 196, selon toutes les apparences (?) Antiochos, maître d’Ephèse dès l’automne pré-

cédant, avait établi sa suzeraineté sur Téos. — Quae omnia optime congruunt cum Rehmi commentationibus; tamen necesse mihi videtur praeter haec omnia teneri id, quod praecipue illa aetate civitatis Teiorum proprium fuisse vidimus, cf. supra p. 15.

A d. p. 28: Primi versus fragmenti d (77—81) a Rehmiio in editione sua hoc modo restituti sunt:

[κρωθεισῶν δὲ] τῶν συνθηκῶν οἱ μὲν παρὰ Μαγνήτων ἀπεσταλμένοι πρεσβευταί]

[παραγενόμενοι] εἰς Μίλητον ὀρκισαί[ωσαν τὸν δῆμον τὸν Μιλησίων· οἱ δὲ παρὰ]

[Μιλησίων ἀπεσ]ταλμένοι ἐπὶ τὴν σύνθεσιν [παραγενόμενοι εἰς Μαγνησίαν ὀρκισά-]

[τωσαν τὸν δῆμο]ν τὸν Μαγνήτων· ὄρκια δὲ πα[ρεχέτωσαν Μάγνητες μὲν Μιλησί-]

80

[οις, Μιλήσιοι δὲ] Μάγνησιν· κτλ.

Adnotat, etsi litterarum numerus maximus sit in v. 79 (65 pro 59—62), tamen rationem scripturae non obstare (in hac ipsa inscriptionis parte plurimas litteras in uno versu fuisse). In eis supplementis, quae ego in textum recepi, haec offensio est: Ante *ν τὸν Μαγνήτων κτλ.* (80) non plus quam 7 litterae suppletæ sunt; fuisse in v. 80 ineunte plures commemorat R. Tamen ita, ut sensus non mutetur, ille numerus augeri potest:

[πρέσβεις οἱ ἀπεσ]ταλμένοι ἐπὶ τὴν σύνθεσιν [παρὰ τοῦ δήμου τοῦ Μιλησίων ὀρκισά-]

80


[τωσαν τὸν δῆμο]ν τὸν Μαγνήτων· κτλ.

(Litterarum numerus in v. 79: 65, in v. 80: 62, in v. 80 ineunte ante *ν τὸν κτλ.*: 12.)

In ea igitur re mihi minus offensionis videtur esse. — Quaeri potest, nonne illud ἐπὶ τὴν σύνθεσιν (79) oppositum sit illi εἰς Μίλητον (78); quare spatii ratione adductus ita totum locum restitui, ut ἐπὶ τὴν σύνθεσιν poneretur pro ea oppidi vel loci significatione, qua opus est ad vv. 78 extr. — 80 in. splendos, et conciliendum esset legatos convenisse Magnesium. Sed R. sollertissime inseruit illud [παραγενόμενοι εἰς Μαγνησίαν],

quod primo dubitavi supplere spatii ratione adductus; a Rehmio totum locum multo simplicius meliusque restitutum esse apparet.

A d. p. 33: De decretis illis Gortyniorum et Cnosiorum R. in Milet III p. 201 sq. statuit haec: Magnetes adiuverunt Cretenses illos, qui Miletum emigraverant, pace cum Milesiis facta i. e. anno 196 vel paulo post. Hybando flumine termino constituto vidimus Cretenses quosdam coactos esse cedere possessionibus (cf. supra p. 24); quid mirum, quod et ipsi adducti inopia rerum conantur in insulam Cretam reverti et Magnetes adiuvant illos, cum deprecatores existunt apud Gortynios et Cnosios? Eo autem, quod Ptolemaeus quidam nominatur, qui arbiter fuit, non cogimur credere illud factum esse ante 205/4; nam anno 196 Ptolemaeus Epiphanes etsi duodecim annos natus erat, suae potestatis factus est; hic, non Philopator, arbiter exstitit. Decreta igitur Gortyniorum et Cnosiorum non eius aetatis sunt, qua legationes illae de feriis Leucophryenae commendandis missae sunt, sed eius, qua titulos Magnesios nn. 16—84 incisos esse vidimus (cf. supra p. 49 sq.). Hoc modo explicatur, quomodo decreta illa inseri potuerint titulis nn. 16—84. Magnetes autem multo minus eo Cretenses adiuvant, quod Milesiis detrimentum quoddam afferre cupiunt, quam eo, quod prospecturi sunt Cretensibus et ex Creta et Mileto expulsis. Qua decretorum illorum interpretatione longe optime et facillime solvi posse illam quaestionem tam obscuram, neminem putaverim esse negaturum.




Milet III n. 148, vv. 23—32.

7

Tabula (mod. 1 : 10).

a: altum (sine margine superiore): 0,58 m.
(margo superior: 0,10 m).
a + b (v. 1): latum: 0,54 m.

b: altum: 0,225 m.



c: altum: 0,84 m.
latum (v. 48): 0,63 m.

d: altum (sine margine inferiore): 0,29 m.
(margo inferior: 0,10 m)
latum: 0,50 m.

Συνθῆκαι Μ[ιλ]|ησιών και Μαγ[νήτων.]

Ἄγαθῆι τύχη· ἐπὶ τοῖσδε συν[νε]λύθησαν Μάγνητες και Μιλή[σιοι]
 συνλυσάντων αὐτοὺς τῶν π[αρα]|γεγενημένων πρεσβευτῶν κα[ί]
 [κ]αταστησάντων εἰς τὴν ἐξ ἀρχ[ῆς φι]λίαν ἀπὸ μὲν τῶν πόλεων· Π[ο-]

5 [δ]ίω¹⁾ Φιλοστράτου τοῦ Ἀ... ω... | α τοῦ Σωσικράτους, καθ' ἑ-
 θεσί[αν δὲ]

[Β]άτωνος, Νικοστράτου [τοῦ Τ]εισύλου, Ἀ[θ]ηναίων Ἀλεξίω¹²νος τοῦ
 Σπενσίππου Ἀζην[ιέω]ς, Θεο[κ]λείους [το]ῦ Ἀεξιθέου Φυλάσιου, Θεοπό[μ-]
 [π]ου τοῦ Ἀημοκλείους ἐκ [Κο]λων[έ]ων, Κνιδ[ίω]ν Π[το]λεμαίου τοῦ Χερ[...],
 [Α]ρχεστράτου τοῦ Ἀ[ρ]χιδάμου, [Μ]υρδίων [.....] | ε¹²ς, Ἡγέ-
 μο[ρ]ο[ς] τοῦ...]

a 10 [ἀ]ρχον, Σαμίω¹ν Θεομνήστου τοῦ Ἀλέξο[υ], τοῦ δεῖνος τοῦ δεῖνος,] 10

[Σ]τήσαγόρου τοῦ Θεσσαλοῦ, Ἀλικαρνα[σσέων] τοῦ δεῖνος τοῦ δεῖνος,
 [Θ]εομνήστου τοῦ Ἰεροκλείους, Πανσα[νίου] τοῦ δεῖνος, ethnici pars?
 .ίων Διονυσικλείους τοῦ Ὀλυμπίχο[υ], τοῦ δεῖνος τοῦ δεῖνος, ethnici pars?
 .ίων Ἀπολλωνίου τοῦ Νυσίου, Ἰάσο[υ] τοῦ δεῖνος, ethnicum?]

a 15 [Α]σσαλδώμου τοῦ Εἰρηναίου, Τηῖω[υ] τοῦ δεῖνος τοῦ δεῖνος,] 15

[Α]ντιπάτρου τοῦ Νυμφοδώρου, Κυζι[κηνῶν] τοῦ δεῖνος
 [τ]οῦ Ἀνικράτου, Ἀχαιοῦ τοῦ Συννόμο[υ], τοῦ δεῖνος τοῦ δεῖνος aut vacat,
 ἀπὸ δὲ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἀχαιῶν Δα[μοξένου] τοῦ δεῖνος,
 ἀπὸ Μεγάλης πόλεως Φρασιαρίδα τοῦ δεῖνος, ἀπ' Ἀντιγο-]

a 20 υ]είας Διοκλείου(ς) τοῦ Ἀγγελιλόχου, ἀπὸ Πατ[ρῶν] τοῦ δεῖνος τοῦ] 20

¹⁾ In lapide ipso litterae ethnicorum non distant inter sese latius quam ceterorum vocabulorum.

Σελεύκου, Ἀριστείδου τοῦ [δεῖνος και τῶν ἐπὶ τὴν]

[σί]νθεσιν ἀποσταλέτων παρὰ [μὲν Μαγνήτων τοῦ δεῖνος]

a 23 | c 1 [τ]οῦ Διοσκουρίδου, Ἐπικράτου τοῦ Δι[οκλείους, Πυθοδότ]ου τοῦ Χαρι-
 σίου, Πυθοκλείους τοῦ Ἠγησ[ίππου, Α]ημητρίου τοῦ Εὐμήδου[ς],

25 | c 3 [παρὰ] δὲ Μιλησίων· Θεογ[ένους] τοῦ Ἀεωδάμαντος, Ἀλεξάνδ-
 ρου τοῦ Ἀημητρίου, Δαμ[ασίου] τοῦ Γλανκίππου, Ἀντιγό¹νου τοῦ

c 5 [Ἐκαταίο]υ, Ἀρτεμιδώρου τοῦ Ἡροδότου· εἶναι εἰς ἅπαντα τοῦ¹
 χρόνον εἰρήνην και φιλίαν Μάγνησι και Μιλησίοις· τῆς δὲ χώρας

τῆς περαιίας, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο Μάγνητες και Μιλησιο[ι, ὁ-]
 ρον ὑπάρχειν αὐτοῖς τὸν Ὑβανδον ποταμὸν και ἀπὸ τοῦ

c 10 [ἀ]ποκάτω πᾶσαν ἕως Θαλάσσης εἶναι Μιλησίων· καιαπῆ[ξαι]
 [δὲ] πέτρους και στῆσαι ἐπ' αὐτῶν στήλας ἑκατέρους παρὰ [τὸ ῥεῖ-]
 [θρο]ν τοῦ ποταμοῦ ἐν τοῖς αὐτῶν μέρεσιν, καθότι ἐπέγνωσαν

[το]ὺς τόπους παραγενόμενοι οἱ ἀπεσταλμένοι ἐπὶ τὰς συνλύ[σεις]
 [πρ]εσβευταί, και εἶναι αὐτοῖς ὄρον διὰ παντὸς τό τε νῦν ὑπάρχ[ον]

c 15 [ῥεῖ]θρον τοῦ ποταμοῦ τοῦ Ὑβάνδου και τοὺς παρατεθέντας π[έτ]-
 ρους και τὰς ἐπ' αὐτῶν στήλας· ἵνα δὲ ὦσιν ἀσφαλεῖς αἱ σ[υνλύ-]
 [σει]ς και διαμένῃ ἡ εἰρήνη και φιλία εἰς τὸν αἰεὶ χρόνον ἀμφοτέραι[ς]

[τ]αῖς πόλεσιν, μὴ εἶναι μήτε Μάγνησιν τὴν Μιλησίων χώραν μ[ή-]
 [τ]ε τὴν περαιίαν μήτε ἄλλην μηδεμίαν μηδὲ φρούριον, μήτε Μιλησίο[ις]

c 20 [τῆ]ν Μαγνήτων χώραν μήτε τὴν περαιίαν μήτε ἄλλην μηδεμίαν μηδ[ὲ]
 [φρ]ούριον παρὰ μηθενὸς λαβεῖν μήτε δι' αὐτῶν μήτε δι' ἐτέρων μήτ(ε)
 ἐγ κ[τῆ]σει

[μῆ]τε ἐν δόσει μήτε ἐν ἀναθέσει μήτε καθιερώσει μήτε κατ' ἄλλον
 τρόπο[υ]ν μη-]

[θέ]να μηδὲ κατὰ παρεύρεσιν μηδεμίαν· εἰ δὲ μῆ, ἄκυρον εἶναι τὴν γενομέν[ην] 45
 [δ]όσιν ἢ ἀνάθεσιν ἢ καθιερώσιν ἢ κηῆσιν ἢ ἐάν τις γένηται παρεύρεσι[ς ἢ] τρώ-

c 25 [πο]ς τισποτεοῦν ἢ δι' αὐτῶν ἢ δι' ἐτέρων· τοῖς δὲ ἔχουσιν σῦλ[ον] ἢ κατὰ
 Μαγ[νή-]

